
SEJANI, ET RUFFINI DIALOGUS DE LADERCHIANA HISTORIA S. PETRI DAMIANI

Guido Grandi, Josè Maria Fonseca de Evora


31
1 D




SEJANI, ET RUFFINI
DIALOGUS
DE LADERCHIANA HISTORIA
S. PETRI DAMIANI

Quis est iste involvens sententias sermonibus imperitis?

Job. 38. 2.







PARISIIS

APUD BARTOLOMEUM DIDIER

Sub Signo Fortunæ MDCCV.

ERRATA.		CORRIGE.
Pag. lin.		
4. 28.	impreffis	impreffus
10. 13.	*&*	*ut*
ibid. 14.	*divifiouem*	*divifionem*
11. 28.	*audirent*	*audiret*
ibid. 30.	*viderent*	*videret*
38. 16	*aciem, gladii*	*aciem gladii*
43. 20.	legem	lege
45. 1.	*virtutis, fua*	*virtutis fua*
48. 23	fcilic. &	fcilicet
51. 25	Superiori	fuperioris
52. 1	*ne*	*en*
60. 3	*anno*	*annos*
61. 37	ecnfutabit	confutabit
63. 3	*faventino*	*Faventino*
72. 9	defininerit	definierit
ibid: 20.	cap. 2.	cap. 3.
75. 5.	genelaogiis	genealogiis
ibid. 17.	*Auguftiancrvm*	*Auguftinianorum*
96. 4.	Cadalorum	Cadaloum
ibid. 17	*tudiana*	*audiant*
107 3	*affecta*	affectu
110 14	à minus	minus
114. 22.	*aqui*	*equi*
117. 18.	exararam	exaratam

SEJANI, ET RUFFINI DIALOGUS.

Colloquium I.

Calculus

Ad Laderchii Thrasonismum de Historia PETRI DAMIANI trimestri spatio completa reprimendum.



EJANUS. Semper in musæo sedentem invenio te, mi Ruffine; quid tibi tàm frequens cum mortuis commercium?

RUFFINUS. Immò cum vivis, Sejane, consuetudinem habeo, nisi fortè malus augur huc veneris, tristem de morte Auctoris, qui mihi nunc præ manibus est, nuncium allaturus.

S. Absit omen. Quis verò recens hic scriptor, quidve novi sibi tractandum proposuit?

R. Mecum asside: jam videbis: volo enim per te cognoscas.

S. Ah video: Laderchiana est in PETRI DA-

MIANI Historiam Rhapsodia. Scilicèt erubuisti prodere, aut pudor erat vel hominem nominare.

R Quid? nosti hominem?

S. Non hominem, sed librum agnovi, ac fermè totum evolvi.

R. Ità intelligebam: quis enim nesciat, nunquam illum intra, nunquam te extra Gallias pedem protulisse? Gratulor autem, te in operis hujus lectione versatum.

S. Etiamnè ludificas? Neque enim gratulaturum expectabam, sed commiseraturum, quòd volverim, & admiraturum, quòd potuerim tria illa prægrandia, & spissa volumina oculis percurrere.

R. Majora etiam, ac multo plura devorasti.

S. Nulla verò tam insulsa, tam barbara, tam inepta.

R. Bona verba. Vide, ne contradicendi studio, piissimi scriptoris industriæ, quæ in hoc ultra triennium desudavit, minus æquum te præferas.

S. Ultrà triennium? Immò tres tantùm menses in hac lucubratione se impendisse testatur Laderchius. Videsis Præfationem: *Verùm cum manum mittere ad omnia desiderabilia tanti Viri proposui, tot vigiliarum, tot id laborum, neque trium mensium, ut fuit, opus, fateor, non duxi.*

R. Fieri id potuit, ut trimestri spatio tam vastum opus expleret?

S. Miratur id etiam Auctor Diarii nostri Gallici, diar.34. anni proximi elapsi 1704. in relatione hujus operis Laderchiani. Librum exhibe, locum indigitabo. R.

R. Codex in promptu est.

S. Jam lego. *Si le Pere Laderchius n'avertissoit pas luy même dans sa Preface, que trois volumes de cette forme, & de cette epaisseur ne luy ont conté, que trois mois a composer, on n'auroit garde de la deviner. Encore trouvet il que c'est beaucoup que trois mois; il ne s'attendoit pas à y employer tant de temps.*} Tum relatis Laderchii verbis, sic concludit: *D'autres que nous decideront, s'il y a de l'exaggeration dans cette maniere de parler.*

R. Ego sanè Typographi, vel amanuensium errore potius contigisse fateri malim, ut *trium mensium* pro *trium annorum* irrepserit, quàm ut credam, tàm brevi tempore, non modò compositam, sed ne rescriptam quidem hujusmodi historiam fuisse. Si enim viginti paginas diebus singulis exarasset, adeòque sexcentas quolibet mense complere potuisset, ne id quidem tribus tomis tam vastæ molis compingendis satis esset, cum singuli plus quàm sexcentas paginas complectantur.

S. Vide ne crassiori calculo rationes subduxeris: Sepone indices capitum, quæ sex circiter foliis, seù 48. paginis continentur: sepone indicem quoque copiosissimum rerum, & verborum folia 21., seù paginas 168. implentem; habebis paginas 216. post operis editionem (ut numeris paginarum impressarum materiæ singulæ referrentur) compositas.

R. Quàm minuta sectaris! Quasi verò hæc valde intentum promoveant.

S. Ex monadibus numerus exurgit. Secerne insuper tàm multa aliena, quæ operi huic Auctor inseruit; nam circa hæc non est cur admodùm laboraverit, cum suffecerit id pensi amanuensium calamis distribuere. Putas hæc exiguam operis implere portionem? Ad 1120. paginas præterpropter se extendere notavi.

R. Qui potuisti hunc numerum colligere.

S. Expedita res est. Quæ vel diverso charactere impressit, vel duplici virgula ad latus stipavit, vel parenthesi inclusit, fatetur certè Laderchius sua non esse: integra nimirùm PETRI DAMIANI opuscula, sermones, epistolas, hymnos: ad hæc totam PETRI DAMIANI vitam per Joannem ejus discipulum scriptam: Constantini Cajetani Scholia; & prolegomena: Baronii, Bellarmini, Arnoldi, Vujonis, Ferrarii, Rubei, aliorumque scriptorum fragmenta: Bullas insuper, aliaque monumenta (notissima tamen illa, ac dudùm in PETRI DAMIANI operibus edita). Quæ vides in primo tomo paginas ferè 408. occupare, in secundo paginas 428. implere, in tertio paginas 284. absumere, adeòque, ut monui, paginas 1120 ex omnibus habemus; quæ illis 216. ad indices spectantibus junctæ, dant paginas 1336., hoc est plusquàm duos universi operis trientes absorbent, ut ne tertia quidem pars Historiographo nostro complenda superfuerit, unus nempè ex tribus illis tomis, crassiori etiam charactere impressis, quem cur dubitabimus trimestri spatio colligi potuisse?

R. Ne sic quidem negocium conficis: nam foliis

liis 238. universum hoc opus compingitur, adeòque paginis 1904. (dicamus mille nongentas esse dumtaxat computandas, quòd illarum nonnullæ penitùs vacuæ supersint) hinc ergo detractis 1336., quas tuo calculo collegisti, adhuc 564. residuæ manebunt, quarum si vel sex tantùm singulis diebus sibi componendas sumpsisset Laderchius, utique 94. dies (qui spatium trimestre superant) impendi oportuisset. Quis porrò non miretur, tot inter alias occupationes Instituti sui proprias Virum hunc potuisse tantam studii assiduitatem sex paginis continenter die quolibet componendis conferre, quantam illa tàm varia scripturalium dictionum suppellex videtur exigere, quà ubique redundat, & diffluit?

S. Magna statim subductione quotidianum Laderchii pensum extenuasti, dum ex 20. paginis ad sex reduci posse fateris. Quòd si etiàm complura alia Gregorii Magni, Bernardi, Thomæ Aquinatis, ipsiusque PETRI DAMIANI, atque aliorum Ecclesiæ Doctorum fragmenta, quæ stylo suo Laderchius inclusit, ac nulla peculiari nota à propriis sui calami periodis distinxit, computare volueris, quemadmodùm, & multa Psalmorum, Canticorum, & Lectionum Ecclesiasticarum frusta ad integras paginas, aut semipaginas excurrentia (potuere siquidem ejus jussu per amanuenses exscribi, dum aliis ipse occuparetur) facilè constabit, tertiam rursus partem esse subtrahendam, ut quatuor ad summum paginæ residuæ sint, quas per se concinnare debuerit

Hi-

Historiographus noster, quantùm scilicèt qui sub Rhetore nigro Ferulam timent, matutinis, ac pomeridianis horis dietim complere satagunt, ut ab æqualium condiscipulorum sorte, inter puerilis Senatus proceres, ex altioribus scamnis, primisque subselliis emineant.

R. Ædepòl sex diligentiæ punctis hanc ego solertiam à Cratilo Præceptore pro meritis rependendam censeo. At pueriles tantùm ineptias, vel putidas, ac malè cohærentes periphrases, confarciet Petus aliquis audaculus, ut pleno utrinque folio apud Ludimagistrum glorietur. Noster verò selectis Scripturæ verbis ut omnia proponeret, quot vigilias impendere, quot labores debuit devorare?

S. At ego nil magìs putidum, nil minùs cohærens in pædagogorum scholis scriptitari posse, immò nihil ineptius, vel animo concipi, vel cogitatione fingi, Laderchiana illa, quam tantopere probas, oratione contendo. Addo, nuspiam adeò frequentes solæcismos, ac barbarismos occurrere, multifido gymnasiarchæ loro expiandos, quibus vel pueruli Emanuelis alumni risu disrumperentur. Sed & memini, errores innumeros in Ecclesiasticam Historiam commissos me in his Laderchianis Commentariis dudùm animadvertisse, quos ubi res exigat, enumerare, ac demonstrare paratum invenies.

R. Huc, opinor, accesseris meditatus Laderchii criminationem; at nimis multa proponis, quàm ut excipi possint, nimis exaggerata, quàm ut credi debeant:

beant; nisi fortè per jocum provocas, ut orationi subservias.

S. Et vera, & seria, & ex animo loquor; Sed ut singula in aperta luce ponantur (quando de pædagogorum Scholis sermo nuper inciderat) primùm de barbarie sermonis, tùm de styli ineptiis, hinc de Historiæ palmaribus erroribus conferamus.

R. Tuo id arbitratu, sed velim priùs, ut quæstionis hactenùs inter nos versatę propositum concluderes.

S. Rem planè confectam putabam: nullo videlicèt negotio potuisse immensa hæc volumina trimestri spatio compingi: quod & ex dicendis uberiùs constare poterit, opus enim tanta oscitantia, tali negligentia conscriptum, an longiori tempore indiguisse arbitraberis?

R. Difficultatem à me propositam declinasti, non evasisti; ubi enim eviceris ineptam esse Laderchii lucubrationem, non ideò breviorem feceris, aut faciliorem. Est & longus error: sunt & nugæ difficiles.

S. Moras iniicis, ut, imminente solis occasu, ab argumento avocer, sed non permittam.

R. Aliquid & in crastinum reservandum: hodiernam interim quæstionem, aliis ut implicemur, truncam relinquere haud decet.

S. Bene est. Memoria tenes penultimi Psalmi versiculos?

R. Quorsùm hæc interrogas? Quotidiè recito.

S. Annon facilè describeres, dictares, aut levissi-

ſima verborum immutatione flecteres quò ſcriptionis tuæ propoſitum vocaret?

R. Si ferat argumentum, nihil facilius.

S. Quàm deſudarit ergo Laderchius in concinnando capitis 29. lib. III. initio? Per te lege tom. 2. pag 274.

R. Pareo. *Laudatur igitur Beatiſſimi Petri nomen in Choro, in timpano, & pſalterio, pſallitur illi, quia beneplacitum eſt Deo in famulo ſuo, & exaltavit manſuetum in ſalutem. Exultat enim Sanctus in gloria, & lætatur in cubili ſuo; ſed exaltationes Dei, quæ fuerunt in gutture ejus, & gladii ancipites in manibus ejus: ad faciendam vindictam in nationibus, increpationes in populis: ad alligandos reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis: ut faceret in eis judicium conſcriptum, gloria ſunt illi ab omnibus Sanctis ejus.* At ejuſmodi loci rariſſimi occurrunt.

S. Rariſſimi? En alium ſtatim ex Propheticis Canticis pag. 287., ſed tantiſper ex Epiſtolis Pauli interpolatum. Perge, ſodes, ac lege.

R. Inveni: eſt ad calcem libri III. *Dextera illius magnificata eſt in fortitudine: dextera illius percuſſit inimicos eorum: & in multitudine gloriæ ſuæ depòſuit adverſarios eorum: miſit iram ſuam, quæ devoravit eos ſicut ſtipulam; in ſpiritu furoris ſui congregatæ ſunt aquæ. Et reverà ſtetit unda fluens, & congregatæ ſunt abyſſi in medio maris: dum diceret inimicus, perſequar, & comprehendam: dividam ſpolia: implebitur anima mea: flavit ſpiritus ejus, & liberavit eam:*

&

& dux fuit in misericordia populo, quem redemit. Quis igitur similis in fortibus tibi, Beatissime Pater? quis similis tui, magnificus in sanctitate, terribilis, atque laudabilis, faciens mirabilia? At cum usquemodò sit nobis colluctatio adversùs carnem, & sanguinem, adversùs principes, & potestates, adversus rectores hujus mundi tenebrarum harum; Tu rursus benignè in bona voluntate tua extende manum tuam, & devoret eos terra: conturba principes Edon, robustos Moab obtineat tremor, obrigeant omnes habitatores Chanaan: irruat super eos formido, & pavor in magnitudine brachii tui: fiant immobiles, quasi lapis, donec pertranseant famuli tui, donec pertranseat servus tuus iste, quem possedisti. Introduc eum, & omnes Christifideles, in quorum ore magnalium tuorum dulcis resonat sonus, & planta in monte hæreditatis Domini, firmissimo habitaculo, quod præparavit tibi, & cunctis diligentibus se. Filii Israel ambulent per siccum in medio mari hujus sæculi, & sanctis precibus tuis porta eos in fortitudine tua ad habitaculum sanctum Domini, qui cum filio, & Spiritu Sancto vivit, & regnat in æternum, & ultra.

S. Amen. Habuimus psalmos, & cantica: vis lectiones?

R. Æquum est & illas audiamus.

S. Recitabo illas ex Mariano Officio congestas, quæ lib.1. cap.33. num.4. ad paginam 231. tom.1. prostant. *Et reverà quasi Cedrus exaltata in Libano, & quasi Cypressus in monte Syon, & quasi palma in Cades, & quasi plantatio rosæ in Jerico & quasi oliva spe-*

speciosa in campis, & quasi platanus exaltata juxta aquas in plateis, sic à Sanctissimo Viro exaltatus fuit peculiaris iste Officii Beatissimæ Virginis cultus, qui sicut cinamomum, & balsamum aromatizans odorem dedi, & sicut myrrha electa dedit suavitatem odoris.

R. Nullasne antiphonas inserit?

S. En statim eodem loco, sed præmissis quibusdam ex Actibus Apostol. *Itaut Petrus omnes Christianæ vitæ viros, ac mulieres, ad Jerusalem, scilicèt ad Deiparam, hoc vinctos obsequio traheret, & perduceret. Hinc est, quòd cum lacrymis non cessabat monere, die, ac nocte unumquemque, & sub præsidium Beatissimæ Virginis, suarum horarum recitatione, conjungeret, ne eorum deprecationes despiceret in necessitatibus, sed à periculis cunctis eos liberaret Virgo gloriosa, & Benedicta.* Et initio lib. 2. pag. 313. *Non est inventus similis Petro, qui conservaret legem Excelsi, ideò fecit illum Dominus crescere in plebem suam.*

R. Vehementer delector hac styli felicitate; quin memini in tertio tom. ad pag. 245. me legisse: *Mirabile certè mysterium, ut Vir Sanctissimus quod fuit permaneret, & quod non erat assumeret, non commixtionem passus, neque divisionem.*

S. A primo tomo, qui præ manibus est, ne exeamus. En tibi ante aliquot paginas, quas opportunè ventus obvertit, alium illustrem locum ex Paulinis Epistolis, & Psalmis Davidicis aggregatum. Lege pag. 189., ubi illos objurgat, qui disciplinæ sibi inferendæ originem ab Æthnicis repetunt.

R.

R. Video. *Nolint ergo jugum ducere Sancta hujus Institutionis Petri Damiani cum infidelibus: quia nulla prorsus participatio justitiæ cum iniquitate, nec societas luci ad tenebras, nec conventio Christi ad Belial., nec pars fidelis cum infideli, nec denique consensus Templo Dei cum Idolis, non tantùm in fine, verùm etiam nec in modo. Sacrilegi enim homines, qui sæpesæpius immolabant filios suos, & filias suas dæmoniis, & effundebant sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum, & filiarum suarum, quas sacrificabant Sculptilibus, & inficiebant terram in sanguinibus earum, & contaminabant in operibus suis, & fornicabantur in adinventionibus suis, dum corpus per flagella castigaverunt.*

S. At Psalmorum alia specimina jam degustavimus. Orationem, & Capitulum fortè desideras?

R. Hæc deesse videbantur.

S. Utrumque brevitèr ad finem nuncupatoriæ epistolæ habebis.

R. Jam observavi: nimirùm ubi Pontificem sic alloquitur. *Concedat Sanctitati tuæ Omnipotens Deus meritis, & precibus hujus Beatissimi Patris, fungi Sacerdotio, & habere laudem in nomine ipsius, & offerre illi incensum dignum in odorem suavitatis.*

S. En aliam lectionem, aut canticum ex Isaia Proph. ad pag. 397. ejusdem I. tomi initio capitis 12. lib. 2. *Excussit igitur manus suas ab omni munere, qui obturaverat aures suas, ne audirent sanguinem, & clauserat oculos suos, ne malum inimicis ipsis viderent; ideò in excelsis habitavit, munimenta Saxorum*

ſublimitas ejus, panis ei datus fuit, aqua ejus fideles. Regem in decore ſuo viderunt oculi ejus; conſpexit terram de longe; cor ejus timorem meditatum eſt.

R. Nec deſunt Homiliæ, præſertim S. Gregorii Papæ: ut pag.163. tom.III. *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris: in quo nimirùm duo ſunt quæ jubentur; Lumbos videlicèt reſtringere, & lucernas tenere, ut & munditia ſit caſtitatis in corpore, & lumen veritatis in operatione; quia Redemptori noſtro unum ſine altero placere nequaquàm poteſt, ſi aut is, qui bona agit, adhuc luxuriæ inquinamenta non deſerit, aut is, qui caſtitate præeminet, necdum ſe per bona opera exercet; quia nec caſtitas magna eſt ſine bono opere, nec bonum opus eſt aliquod ſine caſtitate.*

S. Ecquid verò facilius his, qui in Breviarii lectione tantiſpèr verſati ſint, quàm ut hos centones componant, & quatuor, aut ſex paginas continuo Eccleſiaſticæ illius loquutionis filo ad imas uſque fimbrias deducto, repleant? Non procùl petenda phraſium ſuppellex, non diù cogitandum de ſententiarum, verborumque apparatu, non laborandum circa copiam, aut proprietatem ſermonis. Quidquid in buccam venerit, calamo tranſmitti poteſt, ipſumque quotidianum Officii Divini penſum non minuit, dum frequentiores conceptus ſuggerit, quibus opus in immenſum excreſcat. Et adhuc dubitas, trimeſtri ſpatio Laderchianam hanc rhapſodiam potuiſſe compingi?

R. Haud incongruè loqueris. Sed, ut trimeſtri

ſpa-

ſpatio totum opus digeſſerit, in expoliendo tamen vix minùs triennio inſumpſiſſe debuerit.

S. Non diſſimulo, id potuiſſe contingere; quippe [uti hanc laudem ſemper affectat) etiam in noviſſimo ejus opere. *De Baſilicis Sanctorum Martyrum Marcellini, & Petri*, quod hoc ipſo anno typos aſpexit, fatetur Laderchius 22. dierum ſpatio diſſertationem illam à ſe elaboratam; tùm eidem ad incudem revocandæ, ac perficiendæ annum integrum impendiſſe.

R. Opus illud ſanè eruditum, in quo non eſt cur tot lapſus cavilleris, aut ſtylum è Scripturæ phraſibus confarcinatum redarguas; uſitata enim inter hiſtoricos loquutione contentus ſolidam ubique eruditionem ſectatur.

S. Nimirùm ubi Cymba Navi ſuppetias tulit, ineptias ſuas tandèm agnovit, & ex parte emendavit. Cæterum quàm multa & ibi ſpongiam expectent, erit alius decidendi locus. Me jam abiens Sol vocat, niſi enim ad octavam pomeridianam horam Clariſſimus Mæcenas ad ſe reverſum videat, hoſpitii jurafracta conclamabit.

R. Non permitteret, ut apud Ruffinum vel ſemel pernoctares?

S. Uſque ad D. Remigii ſolemnitatem ſibi totum me poſtulat, deinceps tuus ero.

R. Dimitto, ſed data in craſtinum colloquium ſponſione.

S. Sat memini quæ nobis de Laderchio conferenda ſuperſint. Vale.

Col-

Colloquium II.

FERULA

Qua errores LXXVII. à Laderchio in Grammaticam commiſſi plectuntur.

R. Tibi moras nectenti in occurſum venire jam deſtinaveram.

S. Quàm tuus in me amor impatiens! Expectare malui, ut à negotiis expeditum invenirem.

R. Nullum erudito colloquio tuo negotium antepoſuerim.

S. Pro tua humanitate facis. At miſſis officioſis verbis, cur non ſtatim in bibliothecam?

R. En patet: nec piger in menſa Laderchius adventum tuum præſtolatur, objectis quibuslibet amovendis paratus.

S. Jam jam obmuteſcet.

R. Adſum pro Laderchio reſponſurus.

S. Ex itinere feſſus interim ſedebo.

R. Potes & cæſariem deponere, ac nocturno pileolo caput obtegere. In amici domo, ut in proprio cubiculo, converſandum.

S. Ubi ferula?

R. Qui ſic flagitas? Nùm abigendi canes?

S. Gram-

S. Grammatici errores Laderchii plectendi.

R. Tot leucis dissito minitaris? Jure excipere poterit: si tibi sunt virgæ Parisiis, at mihi tergum Romæ est.

S. Jam te ejus Patronum constituisti.

R. Ad verba scilicèt, non ad verbera.

S. Nullus erit verberum timor, ubi ad verba responderis.

R. Nolim ad personales actiones procurationem meam extenderes.

S. Nihil adversùs jura committam, immò tibi ipsi vel ferendam sententiam, vel certè exequendam demandabo.

R. Age igitur. Quid in grammaticæ canones à Laderchio peccatum esse contendis?

S. In primis post medium nuncupatoriæ epistolæ hęc legimus. *Petra, quam interrupit Dominus in eremo, & † Catholici Orbis adaquavit, velut in abysso multa.* Ubi Priscianus scribendum docuisset: Catholicus Orbis adaquavit. † Error grammaticæ 1.

R. Vide, ne ferulam in te convertam. Constructio Laderchii à te non satis aptè exposita est; ita enim ferenda, ac si dixisset, quòd *Dominus illam adaquavit, velut in abysso multa Catholici Orbis.*

S. Hanc elegantiæ speciem ignorabam, ut gignendi casus ex ablativo pendens inde avelli posset, atque ante verbum, ante præpositionem comparativam, ante ipsum ultimum casum collocari. Nunc subdubito, an quidpiam erroris, te judice, in ullo scriptorum notari possit; nam ante alias periodos quid-

quidpiam invenies, quod concordantiæ jura tueatur.

R. Nolim adeò demissè de Laderchio sentias, ut ejusmodi lapsibus obnòxium arbitreris.

S. At quo fuco Laderchium oblinies, ubi in Præfatione paulò ante medium ait: *Et eo pari modo*, † *quod in Evangelio memorantur quidem Romanæ Reipublicæ Principes?*

† Error 2.

R. Per typographi negligentiam literula *d.* obrepserit: legendum quippe: *Et eo pari modo quo:* tametsì inter errata ad calcem voluminum id minimè referatur: quod Correctorum incogitantiæ, non Auctoris vitio dandum; absit enim, ut talem virum concordantiarum oblitum putes.

S. Nempè, & in genitivis propriorum locorum cum additamento suo concordandis sollicitus fuit: unde pagina 1. in ipsomet historiæ suæ initio tradit PETRUM DAMIANUM *ortum Ravennæ* † *celeberrimæ in Italia Urbis:* quo loco dixisset grammaticus quilibet *ortum Ravennæ, celeberrima in Italia Urbe;* Sic enim, & Cicero in Oratione pro Archia illum *Antiochiæ, loco nobili, & celebri quondam urbe* natum perhibet. Et Philipp. 4. in M. Anton. illum *Albæ constitutum, in urbe opportuna, munita, propinqua, declarat.*

† Error 3.

R. Ciceronem Laderchio opponis? Hos profanos auctores non legit, è solo Breviario [Romanum intelligo) Vir Ecclesiasticus suas phrases deducens.

S. Cedo Romanum Breviarium.

R.

R. Famulus è scamno tertio proferat.

S. Vide ad diem sextam Decemb. *Nicolaum illustri loco Patara in Lycia natum*. En ad diem secundam Aprilis. *Franciscus Paula, quod est Calabriæ oppidum, loco humili natus*.

R. Hinc est, quòd in quibusdam Laderchiani hujus operis exemplaribus felici calamo correctum memini, *Ravenna celeberrima in Italia Urbe*. Omnem porrò repræhensionem evadit error, quem quis agnoverit, atque emendaverit.

S. In hoc certè exemplari tuo, æque ac in meo nulla apparet correctio. Verùm nimis multis lituris opus hoc conspurcaverit, qui illud ubique corrigendum in se susceperit. Malim Augiæ stabulum repurgare.

R. Nondùm hanc errorum copiam ostendisti.

S. Perge igitur ad pag.7.ubi videbis DAMIANUM credi à nonnullis *natum quinque* † *annos ab obitu* † Error 4.
Othonis II. & paulò infra. *Non est unde probetur, quòd potiùs natus fuerit quinque* † *annos ab obitu* † Error 5.
Othonis II., quàm III. Et rursus tertiò, *se natum fatetur quinque* † *annos ab obitu Othonis III.*, † Error 6.
non II.

R. Vidi; Sed hoc loco typographus culpandus est, qui *annos* pro *annis* expressit: undè inter errata corrigenda pag.7. lin.7. id accuratè à Laderchio notatum.

S. Secundum scilicèt lapsum corrigendum monuit, non primum, qui lin.2., nec tertium, qui lin.10. occurrit. Porrò cui persuadeat Auctor, typographum

phum eodem sphalmate intra paucas lineas ter lapsum fuisse, ac tàm constanti lege auferendi casum in accusandi mutasse? Adde quòd simili er-
† Error 7. rore ad pag. 244. scripsit *Tot* † *sacula ante Petrum Damianum* pro tot sæculis ante.

R. Velim te, Sejane, solidiora sectari, ut aliquis ex hac collatione nostra fructus percipiatur. Mallem igitùr, ut difficilem textum *lib.* 1. *cap.* 6. *n.* 3., occurrentem explicares, ubi ait: *Redeuntes er-*
† Error 8 *go* † *diffamaverunt illos in tota terra illa; & Domino disponente per servos suos congregare dispersiones Israel,*
† Error 9 *innumeros undequaque* † *sanavit contritos corde, &*
† Error 10 † *alligavit contritiones eorum, innumeram* † *nume-*
† Error 11 *ravit multitudinem stellarum, & omnes eas nomi-*
† Error 12 *ne* † *vocavit*. Primò enim haùd aliàs memini verbum *diffamare* in bono sensu usurpatum: deinde, cum omnia præcedentia plurali numero expressa sint, quis ille est, qui *sanavit*, *alligavit*, *numeravit*, *vocavit*?

S. An Officia nunc permutanda?

R. Non querelam, sed dubium moveo; nec te Patronum, sed interpretem posco.

S. Primum scrupulum facilè avellam; nec enim semper apud Sacros Auctores verbum illud *diffamare* in deteriorem partem accipitur. Marc. 1. *Cæpit prædicare, & diffamare Sermonem*: & ad Thessal. 1. *A vobis enim diffamatus est sermo Domini*. Vides, me nihil, quod Laderchio faveat, dissimulare? Alterum verò excusare haùd facilè possum, nisi Laderchio permissam à Prisciano legum suarum transgressionem fatearis. R.

R. Nunquàm id extundes, ut ignoratas, aut neglectas à Laderchio concordantias persuadeas.

S. Parùm es in Laderchii lectione versatus. En lib.2. cap.18. pag.441. *Acervum novarum frugum*, † *quod ad faciendum mala ille collegerat*; quasi acervus sit neutrius generis. Et cap.25. num.6.pag.544. † Error 13
Magneti comparat, † *qua ferrum vincit*, quasi magnes, ut apud Italos, & nostros Gallos, ità apud Latinos, fæmineum genus præseferat. Lib.3. cap.6. num.16. pag.80. tom.2. *Infatuavit consilium eorum*, † Error 14
non † *intelligentes quid cogitaverat de illo Deus*, ubi scribendum erat *non intelligentium*. Et cap.20. n.4. † Error 15
pag.213. *Quamplurimas ad diversa* † *spectantia referens historias*, ubi dicendum fuerat *ad diversa spectantes*. Tum lib.4. cap.6. pag.335. *Reperto quadam* † Error 16
die nummo argenteo, † *illud tradidit Sacerdoti*, nummum videlicet, ut supra acervum, neutrius generis pronunciando. Et cap.15. num.13. pag.445. † Error 17
† *Sancti novorum Ordinum Institutores infirmiores factos esse conspicimus*, ubi quis non dixisset *Sanctos &c. conspicimus*? Ac *lib.*5. cap.19. n.5. pag.152. tomi 3. † Error 18
† *Hoc quoque ex tunc inolitum abusum*, nomine *hoc* abutens, perindè ac superiorum acervi, & nummi, genus immutaverat, ut pag. etiam 15. *Mercatum* † Error 19
† *hoc pro mercatum hunc declinavit*. Lib.6. cap.2. n.8. † Error 20
pag.256. *Eorum, qui ex Diaboli regno in Cælum conscendere* † *contendebat*, † *pseudopontifices videlicèt*, † Error 21 † Error 22
usque ad Infernum superbiam detrahendo, ubi scribendum fuerat: *contendebant*, *& pseudopontificum*.

R. Hui! Tàm longam potuisti seriem notare?

S. Sed & plurima transilii. Tomum primum resume: vide ad pag. 348. *Exempla congerit Hildulphi,*
†Error 23 *& Deodati, aque* † *Trevirenses* : & ad pag 401. *Ar-*
†Error 24 *bitramur venisse Petrum,* † *quarens fructum in illa se-*
†Error 25 *quentem eidem Laudulpho* † *scribens epistolam*.

R. Memini & ex recensitis plerosque, & hunc præsertim errorem, quem postremò notasti, inter typographi errata à Laderchio repositum.

S. Oportuit sane typographum, aliquantò etiam meliùs quàm Laderchium, concordantias callere, ut non modò errarit fingendo *quærens* pro *quærentem*, sed & consequenter imprimendo *scribens* pro *scribentem*, mendum illud continuare potuerit.

R. Infelix scriptorum conditio, quibus vel typographorum errata passim tribui contingit!

S. Infelix Typographorum conditio, quibus vel scriptorum errata passim tribui contingit! Verùm ubi inter impressionis corrigenda referri ostendes, quod habet lib. 1. cap. 17. n. 1. pag 97. *Omnis enim*
†Error 26 *orbis terrarum limpido* † *illuminata fuit lumine signorum ejus;* quod lib. 3. cap. 3. pag. 3. tomi 2. *Tàm impu-*
†Error 27 *dentèr hac allegabant, ut annus* † *orno compulerit;*
†Error 28 quod cap. 29. ejusdem lib. pag. 274. *Gloria* † *sunt illi ab omnibus Sanctis ejus, quod* pag. 148. tom. 3. *vi-*
†Error 29 *detur enim nostris hisce temporibus aperuisse* † *infernum os suum*, atque id genus alia?

R. Potuerunt hæc, & similia corrigentis oculos subterfugere.

S. Æthiopem lavas, si cuncta Laderchii errata excusare contendis: nimirùm vulgatissimas gramma-


maticæ regulas passim is prætergreditur; ut cùm
tom.1. pag.193. habet. *Denique nec* † *Athanasium in* †Error 30
vita Antonii, *nec* † *Hieronymum in vita Hilario-* †Error 31
nis, *nec* † *Theodoretum &c. disciplinæ hujus memi-* †Error 32
nere : & pag.303. † *Conversio*, *quam infirmare sa-* †Error 33
nitas poterat, *infirmitas roborat:* ac pag.438. *Cum sibi*
videretur cogitasse † *Dominum:* & pag.389. † *Per-* †Error 34
sequutus in † *unam civitatem decreverat fugere in* †Error 35 †Error 36
aliam, ubi tùm verbo *persequor* passivè utitur, tùm accusandi casum pro auferendi usurpat; dicendum quippè fuerat *in una civitate*.

R. Fortè Evangelistarum phrasim Religiosè hoc in textu observaverit.

S. Nihil minus; nam Matth. c.10. legimus. *Cum persequentur vos in civitate ista, fugite in aliam*, non verò *cum persecuti eritis in Civitatem istam*.

R. In reliquis tomis non tanta fortasse irrepserit mendorum seges; primæ enim curæ solent secundis difficiliores evadere.

S. Haud pauciores lapsus tomum secundum inficiunt. En pag.204. *Se quodammodò dentibus publicæ*
obtrectationis † *exponitur:* pag.448. *In portis quip-* †Error 37
pe suis omnia poma nova, *& vetera servasse videtur*
† *Virum admirabilem* : pag.466. *Petrus verò ab urba-* †Error 38
nitate quasi abhorruisse † *apparet :* pag.569. in titulo †Error 39
capit.29. lib.4. † *Monachis*, *& Religiosis Mundo*, †Error 40
& sibi mortuis Monasteriorum regimen ambire vetat, ubi dicendum erat in accusandi casu *Monachos*, *& Religiosos Mundo*, *& sibi mortuos &c. vetat*.



R.Hæc

R. Hæc ipſe Laderchius inter typographi errata retulerat, atque emendaverat.

S. Eandem incudem tundis. Si ſemel tantùm caſus variatus occurreret, præli lapſibus jure accenſeri poſſet; at dum omnia ad alium caſum detorta ſunt, Auctori hæc omnia meritò adſcribenda videntur; præſertim cum & in titulorum, ſeù capitum indice huic tomo præfixo idem error invariatus repetatur.

R. Jam tertium tomum evolve, de ſecundo enim ſatis multa delibaſti.

S. In pag. 33. tomi tertii lin. ult. legimus. *Purum*
†Error 41 *eſſe Clericum* † *erubeſcitur in Eccleſia*, quaſi nimirùm inter activa verba computari, ac paſſivè flecti poſſet *Erubeſco* (quod & in ipſo indice ad vocem *Clericus* repetit; ac verbo *deſervio* ſimiliter abutens,
†Error 42 ait; *Clericus purus eſſe* † *erubeſcitur, ideò ambitioſè*
†Error 43 *curia Principum* † *deſervitur, ut ad Epiſcopatus apicem perveniatur*) & paulo poſt pag. 34. *Vendicare* hic Auctor uſurpat pro *Vendere* ibi. *Paulatim inſoleſ-*
†Error 44 *centes docti ſunt in brevi* † *vendicare altaria, ſubditorum marſupia evacuare*: & pag. 61. *Docuit Vir San-*
†Error 45 *ctus pro juſtitia* † *agonizare*, quaſi ex verbo aliquo *agonizo* infinitus modus deduceretur, cum apud Eccleſiaſtic. cap. 4. (cui loco Laderchius alludit) imperativè ex verbo *agonizor* habeatur. *Pro juſtitia agonizare pro anima tua, & uſque ad mortem certa pro*
†Error 46 *juſtitia* Vide & pag. 315. ubi *in* † *Sanctorum Eccleſia Patrum* legitur pro *In Sanctos Eccleſiæ Patres*: & pag. 345. *Cum ſimplex, & moderata reſponſio poſ-*

ſit

fit † *te placere*, hoc est *tibi placere*: ac demum pag.427. *Ut* † *mentiret iniquitas sibi*, cum in Psalmo 26. verbi deponentis indolem servet, *mentior*, ubi dicitur. *Et mentita est iniquitas sibi*. Omitto alia leviora passim legentibus occurrentia. †Error 47 †Error 48

R. Expectabam, ut criticum ageres ad pag.361. hujus tertii tomi, ubi typographo exciderat. *Et in misericordia increpaverit eum*, sed solers Historiographus noster id corrigendum monuit lin.19. † *increpuerit*. †Error 49

S. Supersedere ab ea cura potuerat, dicente Cicerone ad Quintum Fratrem *Cato Pompeii in me perfidiam increpavit*. An sibi religioni duxit Psalmographi verba, psal.105., ex Breviario deducta immutare, ubi habetur: *Et increpuit mare rubrum?* Cur exempla Evangelistarum præteriit? Matth.17. *Increpavit illum Jesus, & exiit*: *Luc*.4. *Et increpavit illum Jesus dicens*: & cap.8. *Increpavit ventum*: & cap.9. *Increpavit Jesus Spiritum immundum*, ut alia omittam veteris Testamenti?

R. Nimirùm correctiones ipsas corrigere aggrederis, quando nihil aliud residuum est, quod in hoc opere carpas.

S. Nihil aliud residuum est? Excute iterùm, excute Laderchianos tomos: restitue primum. Quid hic circa med. tertiæ paginæ Præfationis legis?

R. Nimirùm: *Agnovi*, † *meis viribus non esse magnitudines tam mirifici Doctoris annunciare*. Hiccine scrupulus latet? †Error 50

S. Hìc planè; dicendum enim fuerat *Agnovi*

vi-

virium mearum non esse; quemadmodum ait Cæsar lib. 1 de bello Civil. *Neque sui judicii*, *neque suarum virium esse discernere*. Sed perge ad finem sequent. paginæ circa tertiam præfationis partem.

R. Auguror, te velle Laderchio de phylacteriis
†Error 51 litem movere; ait enim ibi: *dum tantoperè* † *phylacterias rerum mirificè dilatant*, quod & repetit
†Error 52 tomo 2. pag. 482. *Nobilitatis humanæ* † *phylacterias etiam in claustro dilatant*; dicendum quippè utrobique fuerat *phylacteria*, nisi fortè utrunque Latinis Authoribus probetur.

S. Nusquàm *phylacterias* invenies; Sic enim habet tex. Matth. 23. cui alludit Laderchius, *Dilatant phylacteria sua*; undè & Concilium Laodicen. cap. 30., quod est in Can. Non oportet 26. quęst. 5. ait: *Non oportet*, *Clericos facere phylacteria*, *quæ animarum suarum pericula probantur*; & Joan. Diac. in Ep. ad Carol. M. *Phylacteria tenui argento fabricata*, *vilique panno de collo suspensa* commemorat; ac D. Gregor. Pap. lib. 12. ep. 7 *Excellentissimo Filio nostro Adulovaldo Regi transmittere phylacteria curavimus*.

R. Oppidò eruditum te probas, mi Sejane, vix tantum operæ sibi Laderchii Historia flagitasset; quanquam & ipse Laderchius non ineruditus videri potest, cùm alibi passim, tùm præsertim pag. 246. tom. 3. ubi ex Budęo Cicer. Aulo Gall. Historici officium illustrat.

S. Hæc in lexicis vulgò prostant. Prosequere mecùm ad alios Auctoris nostri barbarismos in primo tomo notandos, nam pagina 17., atque alibi

vi-

† *vigesimum* scribit pro *vicesimo*. pag.98. *tantum* †Error 53
† *fas attentare pro tantum nefas*; pag.162. *lingua* †Error 54
ejus † *concinuit dolum pro concinnavit*, ut in psal.49. †Error 55
lingua tua concinnabat dolum pag.356. † *tresdecim* †Error 56
habet pro *tredecim* pag.141. † *Moguntiaci* Conci- †Error 57
lium Congregatum statuit, pro *Moguntię*; pag.304.
Baptismum, mi, declinat pro *Baptismus, mi*; aut
Baptisma, matis; idque non semel, sed bis repe-
tit: *regularis professio non est secundum* † *Baptismum* †Error 58
Et paulo post *Hujus hac de causa* † *Baptismum in-* †Error 59
validum judicatur ut omittam idiotismos illos,
cum in disjunctiva negatione particulam *vel* pro
an usurpat, quemadmodùm pag.125. *utrum Ro-*
mam petierit, † *vel ne*, *ignoratur*, & pag.271. *potest* †Error 60
ne, † *vel è contra?* cui simile est illud in tomo 2. †Error 61
pag.30. *at talis doctrina vera erat ne*, † *vel falsa?* †Error 62
& sic alibi.

R. Hoc ad elegantiam magis, quàm proprietatem sermonis spectare videtur.

S. Proprianè tibi videntur quæ tom.2. habet, ni-
mirum *scutere* pro *excutere* pag.200. *debet prius*
† *scutere nummum*; & *divitia, tiæ*, singulari nume- †Error 63
ro prolata pag.501. † *Sempiterna divitiæ, vel pau-* †Error 64
pertatis contemplationem, & tom.3. pag.110. *decubare*
activo modo pro *reclinare* ibi *Homini in* † *cubicu-* †Error 65
lum aliquod incluso de suis tantùm rebus sollicito,
corpus humi † *decubare assueto*, ubi etiam *intra cu-* †Error 66
biculum aliquod incluso, vel *in aliquo cubiculo* dicen-
dum fuerat; nec non pag.422. *Et agnovit* † *præstò* †Error 67
tuæ perditionis indicium, quasi adverbium *præstò* non

paratum, *aut in promptu esse*, sed idem quod *citò*, vel *statim* [quod nos *promptement* dicimus] significaret, possetque alteri, quam verbo *sum*, & compositis, juxta grammaticæ canones, adjungi: hæccine, inquam tibi, Ruffine, propria videntur, an etiam eleganter exposita? Quid, quòd nominum etiam significationem propriam ignorat Laderchius? Quis enim nescit, per *diploidem* duplicatæ vestis genus indicari? at ille, velut recoctum lactei seri coagulum, aut lutum, aut quidpiam aliud, quo facies per ignominiam illiniri queat, est interpretatus, dum lib. 6. cap. 7. pag. 304. sic habet: *Facies*
†Error 68 *eorum Petrus implet*, † *sicut diploide*, *confusione*.

R. Nec dum satis officio pedagogi functus es? Nec tua aliquando brachia lassantur hac ferulà?

S. Jam scio: in proximo est duodecima, quæ te criticæ nostræ pertæsum ad prandium vocat. Unam permitte observantiunculam, mox dimitto.

R. Nihil est, quod urgeat ad discessum, nisi te Mæcenas tuus expectaret: non minimæ porrò utilitati, ac voluptati colloquia mihi tua cedere scias; deprome itaque observantiunculam.

S. Nosti, duplicatam in eadem clausula negationem assertioni æquivalere.

R. Quis nesciat?

S. Ignota profectò hæc grammaticæ lex Auctori nostro fuisse videtur, qui frequentèr adeò in illam impegit; nàm in Præfatione ad finem secundæ paginæ scripsisse vidimus; *neque trium mensium ut*
†Error 69 *fuit*, *opus fateor* † *non duxi*, hoc est *non cogitabam*

huic.

huic operi tres menses impendere, & post quinque paginas *Ne quod superfluum est, & inutile, in hoc ipso approbare* † *non videar*, nimirùm *ut non videar*, & pag.46. tom.1. ait. *Minus ex identitate constitutionum constat* † *non probari talem unitatem* pro eo, quod est, *minus constat probari*: ac pag.85. *Neminem in Italia eximius, constitutiones tradidisse* † *non invenimus*, hoc est, *nullum invenimus*; & pag.291. *Caveat, æterno Judici quid possit respondere, ne* † *habeat*, nempè *ne desit quid illi respondeat*; & pag.303. *districtè prohibentur nuptias* † *non præsumere*, hoc est, *jubentur non præsumere*. Et in tom.2. pag.501. *Nullum sibi emolumentum ex sæcularibus istis sperare sibi caro nostra* † *non possit*, *hoc est nihil inde sperare queat*; & pag.520., *sed* † *nec sub pietatis specie ad sæcularia reverti districtissimè semper prohibuit*, *nempè reverti ad sæculum semper prohibuit*; ac pag.564. *Adamantis sigillum formam cæteris lapidibus imprimit, sed vicissim in se nullius soliditatis imaginem* † *non admittit*, hoc est *nulla figura obsignatur*, & sic de aliis similibus, quæ ex discretione, non ex verborum sono æstimanda, & interpretanda passim occurrunt.

† Error 70
† Error 71
† Error 72
† Error 73
† Error 74
† Error 75
† Error 76
† Error 77

R. Video à te singulos fermè apices historiæ hujus excussos, ut illum septuagies, & septies lapsum ostenderes; at Evangelico præcepto illi ignoscendum fuerat, vel si septuagies septies peccasset: nec tamen diffiteor paulo majori diligentia potuisse, ac debuisse lucubrationem hanc exarari ab Auctore, à typographis emendari; tàm venusto nihilominùs

nùs ſtylo expreſſa eſt, ut ab his nævis majorem fortè gratiam accipiat; nam & Veneres noſtras nigris maculis faciem inſpergere noſti, è quibus curatæ cutis candor vividiùs emicet.

S. Habeto tibi tuas veneres. De ſtylo pomeridianis horis conferemus, & quot ineptiis redundet examinabimus, Vale.

R. Difficiliorem provinciam in te ſuſcipies; ſed nolo diſceſſum morari: reducem poſt tres horas expecto.

Colloquium III.

SCUTICA

Innumeris Laderchiani ſtyli ineptiis, & Verbi Dei profanationibus caſtigandis adhibita.

R. O ſummam diligentiam! Tàm citò à prandio expeditus?

S. Pigræ, & inſuaves videbantur horę, quæ me à te devellebant.

R. Sed & lætior quàm anteà tibi aſpectus.

S. Nempè tetricum pædagogi vultum depoſui.

R. Critici tamen perſonam non exuiſti.

S. Donec à Laderchii patrocinio te avocaverim, non dimittam.

R. Nul-

R. Nulla quidem mihi cum illo necessitudo est, at non sine quorundam plausu ejus stylum à Viro summæ dignitatis commendatum audivi, nec patior eundem à te, aliisve paucissimis contribulibus tuis impunè traduci.

S. Miror, homines adeò vecordes repertos, ac tam corrupto erga bonas litteras gustu instructos, quibus ejusmodi rhapsodiæ salivam moverint.

R. Pacatiori animo hæc dispiciamus. Est aliquid in unaquaque re Primum esse: tot Scriptorum vestigiis tritas vias ingredi, atque emetiri nimisquam vulgaris laus est, at Laderchius noster novam sibi semitam aperiens, ut classi eruditorum non modò se adjungeret, sed præiret, insuetam penitùs scribendi formam usurpavit; ut cum Poeta Philosopho canere possit.

Avia Pieridum peragro loca, nullius ante
Trita solo: juvat integros accedere fonteis[1].
Atque haurire, juvatque novos decerpere flores,
Insignemque meo capiti petere inde coronam;
Unde prius nulli velarint tempora musę:

nimirum historicas narrationes cum mysticis Scripturæ Sacræ expressionibus aptè conjunxit, & criticum stylum, consertis ubique venerandis phrasibus ex utroque Testamento petitis, expolivit simul, ac consecravit.

S. Papè! An potius miserè fœdavit? Nullo enim, ut vides, delectu, judicio nullo, centonem mendicitati suæ consuit, nec reverentiæ Sacris Literis debitæ, nec decoris servandi, nec prudentis appli-

plicationis uſpiam ſe memorem præbuit.

R. Quàm diverſa ſunt hominum judicia! ſi te adverſus Laderchii ſtylum muſſitare Quintinus cognoſceret, in numero pereuntium animarum cum reprobis eſſe recenſendum pronunciaret; Sic enim in hujus operis approbatione de Laderchio ſcripſit: *Ne doctrinam è cælo inſpiratam terrena labe contaminet, utitur plerunque phraſibus Scripturæ Sacræ inter ſe connexis, exiſtimans, verbum Crucis iis, qui ſalvi fiunt, non minùs gratum fore, quàm pereuntibus ingratum.*

S. Undè hoc Quintino lumen affulſit, ut certum Prædeſtinationis criterium in approbatione Laderchiani ſtyli reponeret? Indè nimirùm, undè & Laderchii doctrinam *è cælo inſpiratam* ſordidus aſſentator pronunciat. Interim probi quique, ac docti viri ſtomachum ſibi ex tam inepta ſententiarum farragine ſubverti fatentur, ac bilem ipſam ſuſdèque moveri.

R. Quid narras? An non hic ipſe ſtylus eſt, quem Bernardus Claravallenſis, quem ipſe Petrus Damiani, quem pii quilibet Eccleſiæ Scriptores [in aſceticis ſaltem operibus, nam ad hiſtoricas lucubrationes primus, ut arbitror, hic Auctor traduxit) proſequuti ſunt, ex Divinarum ſcripturarum theſauris nova, & vetera teſtimonia proferentes, eaque ſuis ſententiis paſſim opportunè adaptantes?

S. Si nil diſtaret à ſedulo, prudentique imitatore putidus, & ineptiſſimus affectator, nihil eſſet planè ſimilius: Sacram Scripturam appoſitè, & pro re

re nata in usus suos quasi spontè venientem illi admisere, non *in securi, & ascia dejecerunt eam*, ut passim hic solet.

R. Sua semper constare debet sacris literis veneratio.

S. Omni quidem veneratione sacra dicta sunt excipienda, sed ob hoc ipsum intemperatus ipsorum usus meritò vituperandus est; nam ut suo loco positæ Divini Codicis phrases, sermonem gemmarum instar ornarent, ità ubilibèt citrà sobrium, ac prudentem usum sparsæ, immò citrà delectum, citrà ordinem, citrà connexionem, citrà propositum congestæ, lapidum instar obruunt, impediunt, atque à progressu lectionis quemlibet non depravati gustus absterrent.

R. Vereor, ut hujus novi styli venustates non satis gustaveris. Quid enim comparari potest cum initio capitis primi lib.3., undè secundum hunc tomum auspicatur Laderchius?

S. Cujusmodi illud est?

R. Ecce. *Dum igitur Roma cantaret Dilecto suo Beatissimus Petrus canticum Patruelis sui vineę suæ, & vinea Agnetis Augustæ facta esset dilecto suo in cornu filii olei, & sapiret eam salutaribus monitis, & lapides eligeret ex illa,* & *plantaret eam electam, & ædificaret turrim in medio ejus; & torcular extrueret in ea, facta est illi à Venerabili Desiderio Cassinensi Abbate vox dicentis, capite nobis vulpes parvulas, quæ demoliuntur vineas.*

S. Atque hic tu elegantiam, & eruditionem re-

reperis? Ego ſobrietatem, & prudentiam ſcriptoris deſidero; nam quis futurus erit Sacrarum Scripturarum abuſus, quæ profanatio, ſi deliramenta hæc in exemplum abire impunè permittantur? Quid enim verò, per Superos omnes obteſtor, hoc loco ſignificare poteſt *Canticum Patruelis ſui vineæ ſuæ?* Quid illud *cornu filii olei?* quæ *turris ædificata in medio Agnetis?* quod *torcular in illa extructum?* Vides nè hæc aut ineptam, aut etiam obſcænam, certè parùm decoram ſpeciem in Lectorum mentibus excitare; quemadmodum, & illud, quod de Cadaloo, & Alexandro II. pag.145. hujuſmet 2. tomi inſulsè profert *Licèt Alexander ædificaſſet in gyro ejus:* & illud tom.3. pag 307. Quietiſmum ſapiens: *Licet is, qui foris erat ſuus homo corrumperetur, tamen is, qui intus erat, renovabatur de die in diem:* & alia multa ejuſdem commatis?

R. Omnia munda mundis; niſi velis uſque adeò cavillari, ut præclaram etiam illam expreſſionem redarguas, qua Theuzonis Eremitæ ex Damiani epiſtola reſipiſcentis converſio ad vivum deſcribitur lib.3. cap.5. num.2. pag.47. tom.2. his verbis *Niſi enim Dominus exercituum reliquiſſet Theuzoni Semen verbi ſui ex ore Beatiſſimi Viri, quaſi Sodoma fuiſſet, & quaſi Gomorrha ſimilis eſſet.*

S. Scilicèt de Theuzone Eremita Florentiæ degente, ut video, loquitur Auctor: quaſi verò alterius, quàm arrogantiæ criminis reus à Damiano correptus eſſet!

R. Immò Florentiæ tùm non fuiſſe Theuzonem ad

adversùs Baronium eruditus Auctor contendit.

S. Erit aliàs de hoc disputandum. De stylo prosequamur.

R. Non puto, sinistrà interpretatione te acceptu-rum, quod prudentissimus hic animarum Director in quosdam muliercularum spirituales Patres scripsit hoc eod. tom. pag. 132. *Qui idoneos se putantes ministros novi Testamenti, ne aliquis intendat in faciem ipsarum, propter gloriam, quam jactant vultus earum [quæ certè posteà evacuatur] prohibent furore potiùs, quàm zelo.*

S. Furere mihi ipse videtur, tùm inepta applicatione verborum Apostoli, tùm in hujus prudentis cautelæ inconsulta criminatione: nec magis decora sunt, quæ paulò post subdit de PETRO DAMIANI, qui *magis præsenti alligatus erat Augustæ in manibus enim suis descripserat eam, & muri ejus coram oculis ipsius semper.*

R. Scio cui alludas; Sed contra apertissimam Auctoris mentem, cujus verba quantam spirent majestatem Viro Ecclesiastico dignam, & quantam prudentiam spiritus, ac venustatem sermonis præseferant, satis intelliget quisquis puro animo, ac simplici oculo eadem contempletur.

S. Expecto, ut venustatem sermonis, prudentiam spiritus, ac majestatem Viro Ecclesiastico dignam deprædices etiam in pag. 249. tom. 1. ubi pignora benevolentiæ Leonis IX. in PETRUM DAMIAN. describens ait. *Videns igitur dominus, quòd Jacob despiceret Liam, scilicet Petrum Leo, aperuit*

E vul-

vulvam ejus, qui tot filios concepit, quot pias tradidit institutiones: videns humilitatem ejus, & audiens, illum haberi contemptui, ut amaret illum Summus Pontifex, & copularetur illi, habitare fecit sterilem in Domo Ecclesiæ Matrem filiorum lætantem, benedixitque filiis suis in eo; veruntamèn non invenit gratiam in oculis ejus, nec fuit comedens in mensa ejus, quamvis duo pignora Spiritus sui ei dedisse inveniamus, licèt, ut credimus, in diebus primis. Ubi patet, Auctorem de Damiano perindè ac de fæmina quapiam perpetuò loqui, putidamque allegoriam usque ad inverecundas partes (*aperuit vulvam ejus*) usque ad fædum commercium (*& copularetur illi*) continuare.

R. Video te mysterii penitùs ignarum cum vulgo cæcutire: putas nimirùm PETRUM DAMIANI *Virum* fuisse, cùm reverà *Fæmina* fuerit.

S. Quod audio monstrum! Ludis, opinor, cum illo Burdigalensi Chimico, quem annò superiori cum interrogassem, quid profecisset in suis circa mercurium studiosis operationibus, quasi grande mysterium in aurem infusurrans: amice, inquit, quàm inscitè oleum, & tempus perdit nostrorum artificum vulgus, cui persuasum hactenùs fuit masculum esse mercurium! ego ædepol fæminam esse denique comperi.

R. Apage chimicorum nugas: ego seria loquor, & quæ, Laderchio teste, Deus ipse revelavit dicens tom. III. lib. 5. cap. 3. num. 3. pag. 15. *Non est vir*

Pe-

Petrus, ut putatis, qui possit mittere manum ad fortia, sed mulier.

S. Bona tua venia, textum integrum ab initio ejusdem num.3. relegam, ut arcani hujus rationem intelligam; *Idcircò* inquit Laderchius, *cum deposito tandem, ut vidimus cum Cardinalitia dignitate Episcopatu, sederet ad pedes Jesu mærens, & offerens sacrificium spiritus contribulati in recordatione peccatorum suorum, & putrescerent, & corrumperentur cicatrices suę à facie insipientiæ suæ, ideòque audiret murmurantes: ut quid perditio hæc? causantes videlicèt, quod unguento ungeret tantùm pedes Jesu, vivendo sibi soli, qui multis prodesse poterat, & dicentes; potuit enim venundari multò, & dari pauperibus; verus humilis non bonum mercatum hoc sibi credidit; nimis enìm pertimuit in Ecclesiasticæ gloriæ dignitatis detrimentum sui facere, undè intelligens verba hæc inter illas esse, quas scriptura loquitur, muscas morituras, quæ perdunt suavitatem unguenti, recordatus est Divinæ illius sententię; Popule meus, qui te beatificant in errorem inducunt. & excusantem Dominum, respondentem pro se eis, qui quasi de otio incusabant se audire existimavit, & dicentem: quid molesti estis huic mulieri? Quod est: Vos videtis in facie, & ideo secundum carnem judicatis; non est vir Petrus, ut putatis, qui possit mittere manum ad fortia, sed mulier: quid tentatis ei imponere jugum, ad quod ego minus sufficientem intueor? Bonum opus operatur in me; stet in bono, quia non convalescit ad melius. Hoc pacto de abdicanda Ecclesiastica dignitate Petrus consilium firmavit.*

R. Quid ais nunc Sejane? Vides germanam causam, cur Damianus Cardinalitiæ, & Episcopali dignitati nuncium remiserit, ab Auctore nostro tandem proditam; quia videlicet audivit Dominum sibi dicentem, quod *non vir erat*, *sed mulier* huic oneri insufficiens, nec poterat (ut infrà subdit Laderchius) *molles*, *& fœmineos humeros suos virorum supponere sarcinis*.

S. Vix meismet oculis credo; quis enim in animum induxisset, postquàm ab eruditis confutata est Joannæ Papissæ fabella, hanc novam *de Damiana Cardinalissa* fore à Laderchio excogitandam?

R. Non fingit hoc mirabile arcanum Laderchius, sed à Domino revelatum narrat: idque firmius persuasum habet, quàm ut illum sperare possis de sententia dimovere; undè postremorum capitum hujus Operis tituli habent: *Fide accepit mulier de resurrectione mortuos suos Joannem scilicet Laudensem &c.* Et iterum: *Fide accepit mulier de resurrectione mortuos suos, Sanctum nempè Dominicum Loricatum &c.*

S. His locis Matrem Ecclesiam intelligebam.

R. Si reliquis titulis comparaveris, de Damiano ubique loqui cognosces. Nimirum tituli omnes lib. 5. per hæc verba incipiunt *Cardinalis Episcopus*, & subindè variantur juxta varias dotes, quas in Episcopo exigit Paulus epistolæ ad Tit. cap. 1. exempli causa cap. 3. 4. & 5. *Cardinalis Episcopus non superbus*: cap. 7., & 8. *Cardinalis Episcopus non iracundus*: cap. 9. 10. 11. 12. 13. *Cardinalis Episcopus non vinolentus*.

S.

S. Tàm multis capitibus contendendum erat, ut suaderet, Damianum austerum eremicolam non Vinolentum fuisse?

R. Non solum ab ebrietatis fuga dotem hanc in Damiano commendat; Sed ex quo insuper vigiliarum disciplinam restituerit, clericorum incontinentiam sit insectatus; celebrandarum nuptiarum tempora violantes represserit; intemperantem conjugatorum libidinem frænaverit; nugas, sales, lepores, facetias fuerit detestatus.

S. Itàque Cardinalis Bellarminus Petrum Damiani *vinolentum* fuisse crediderat, quando illum in lib. de Script. Eccles *facetum fuisse, & ludendi, ac salsè carpendi artem non ignorasse* pronunciavit. Sed perge.

R. Cave ampliùs interrumpas hanc titulorum œconomiam. Itàque cap.14. ostenditur *Cardinalis Episcopus non percussor*: cap.15. 16. 17., & 18. *Cardinalis Episcopus non turpis lucri cupidus*; cap.19. *Cardinalis Episcopus hospitalis, benignus*: cap.20. & reliqu. usque ad 27. *Cardinalis Episcopus fuit Sanctus* Cap 28. 29. 30. 31. *Cardinalis Episcopus amplexatus est eum qui secundum doctrinam est, fidelem sermonem*. Mox *de fide S. Doctoris* in lib 6. tractaturus omnes titulos incipit per hanc vocem *Fide*; atque sicut perpetua commentatione Epistolæ ad Titum librum 5. absolverat, ità in hoc sexto prodigia Fidei PETRI DAMIANI applicat; undè cap.2. ait: *Fide vicit regna*: cap.3. 4. 5. 6. & 7. *Fide operatus est justitiam*: cap.8. *Fide adeptus est repromissionem* cap.9., & reliq. usque ad 16. *Fide obturavit ora leonis*. S. Da

S. Da veniam tantiſper, obteſtor, dum adeò multiplicem hujus textus applicationem cognoſcam integris octo capitibus digeſtam.

R. An neſcis, Damianum fideliter veritati adhæſiſſe, & doctrinam ſuam contra impugnantes defendere non dubitaſſe; ad hæc Philoſophorum verſutias deteſtatum, eos, qui plus volunt ſapere, quàm oportet, odiſſe: circà diem conceptionis S. Joann. Baptiſtæ deceptum, & per viſionem à Deo emendatum? Hoc Laderchio eſt *Fide obturare ora leonis*.

S. Eſto etiàm *conculcare leonem, & draconem*, per me licet. Proſequere.

R. In cap 17. oſtendit, quod Damianus *Fide extinxit impetum ignis*: cap.18., & 19. *Fide effugit aciem, gladii*: cap.20., & 21. *Fide convaluit de infirmitate*: cap.22., & 23. *Fide factus eſt fortis in bello*: cap.24., & 25. *Fide caſtra vertit exterorum* ac demùm cap.26. 27., & 28. *Fide accepit mulier de reſurrectione mortuos ſuos*. ubi quis dubitet, pariter de Damiano, tanquàm muliere, Laderchium loqui? nec enim Eccleſiæ, ſed Damiani Fidem toto hoc libro ſibi illuſtrandam ſuſceperat.

S. Fruſtrà hùc trahis noſtri Hiſtoriagraphi verba, qui ad Matrem Eccleſiam expreſsè retulit hujuſmodi titulos, quidquid ſit, an ſatis appoſitè fidem Eccleſiæ hic celebrandam in Damiani laudem aſſumpſerit.

R. Quid, ſi Eccleſiaſticos omnes, ipſumque Chriſtum Dominum in fæminam mutatum tibi apud Laderchium oſtendero?

S.

S. Quas loqueris blaſphemias?

R. Conſule pag. 238. ejuſdem hujus tom. 3. videlic. in lib. 5. cap. 31. n. 6., ubi Eccleſiaſticorum vitia redarguens ait: *Non ſunt profectò Matres, qui, cum ſint de Crucifixi Matrimonio nimium incraſſati impiguati, dilati, non compatiuntur ſuper contritione Joſeph.* Porrò *Matres*, & *Matrimonium* ad fæminas referuntur.

S. Idem & mihi videtur.

R. Sed, dum præ manibus eſt, non pigeat hujus textus reliquum maxima zeli expreſſione conceptum audire: Sic ergo proſequitur. *Archipræsbyter circuit obedientiam ſibi creditam, & ut impleat Saccum ſuum, tradit Sanguinem juſtum, vendit nempè homicidia adulteria, inceſtus, fornicationes, Sacrilegia, perjuria, & uſquè ad ſummum implet manticam ſuam. Famà igitur volante, innoteſcit Epiſcopo talis quæſtus, & accerſito Archipræsbytero: da mihi, inquit, partem meam. At ille: nihil dabo tibi. E' contra Epiſcopus: Si non dederis, inquit, mihi partem meam, auferam tibi omnia. Fitque altercatio maxima, & propter avaritiam fit diſcordia. Poſteà verò Archipræsbyter revolvens ſecum, quod auctoritate Epiſcopi fungatur, iſtà neceſſitate, & quod ſine gratia ipſius nihil poſſit, perversè converſus: pœnitet, inquit, me: accipe partem tuam, & inſuper de mea, quod beneplacitum fuerit; & reconciliantur. Heù, ſicut Herodes, & Pilatus reconciliati ſunt, & Chriſtus crucifixus eſt; ſic nihilominus iſti reconciliantur, & pauperes Chriſti ſpoliati ſunt. En tempora planè fœda à nego-*

tio

tio perambulante in tenebris: quapropter væ generationi huic à fermento Pharisæorum, quod est hypocrisis.

S. Obsecro, mi Ruffine, Apologum ne, an Parabolam recitasti?

R. Quod voles erit; modò eruditam, concinnam, lepidamque suprà omnem gustum narratiunculam fatearis.

S. Non repugno. Fac tantùm intelligam, quorsum hæc ad Damiani gesta pertineant.

R. Id usque adeò reconditæ eruditionis est, ut si candidè fateri velim, scriptoris mentem ne ipse quidem sim assequutus, nec adhuc planè definire licuerit, de quo Præsbytero dicat hoc, de se, an de alio aliquo.

S. Fabulam ego dixerim; cum in scriptoribus vitæ PETRI DAMIANI, Joanne videlicet ejus discipulo, Hieronymo, Rubeo, Joanne Antonio Flaminio, Augustino Florentino, aliisque Auctoribus de Sancto Doctore loquentibus, nullum facti hujus vestigium appareat.

R. Ejusmodi Auctorum (prætèrquam Joannis) historiis non admodùm fidendum esse censet Laderchius lib. 1. cap. 34. num. 4. de quibus, & ad finem Præfationis ità senserat: *Idipsum, quod primus narravit, cæteri rescripserant, undè nobis ex scriptorum multiplicatione non est magnificata lætitia.*

S. Undè itàque horum indiligentiam noster Auctor supplevit? Undè potuit tantam corradere dicendorum farraginem, qua vitam Damiani vix tri-
bus

bus foliis à Joanne discipulo compræhensam, in tres ipse tomos distraheret, atque amplificaret?

R. Audi ex eodem Laderchio in Præfatione. *Extendere*, inquit, *cælum hoc, sicut pellem, credidi, ut pulcherrima videlicèt hac pelle, in modum magni cujusdam tentorii universam operiendo faciem Catholicæ Terræ, illius admirabili sanctitate, & doctrina, qua fulget Ecclesia, ut sole luna, humani, & devoti oblectarentur aspectus.*

S. Extendisse pellem video; quibus verò lacertis confisus id attentavit?

R. Id ignorare non poteris, si post quinque paginas in eadem præfatione hæc legeris. *Adjuvat insuper & ipse Beatissimus Pater infirmitatem meam, dum nimirùm in hujus historiæ elaboratione ex Sacræ Scripturæ phrasibus, & SS. Patrum sententiis, assumpsi mihi adjutorium simile mihi.*

S. Intoleranda præsumptio, ut *simile sibi adjutorium* appellare audeat PETRUM DAMIANI, ipsumque Verbum Dei, & Spiritum Sanctum in aliorum SS. Patrum scriptis loquentem!

R. Memineris, Laderchianam hanc historiam, velut *doctrinam è cęlo inspiratam* à Quintino magnificari: Sed, & ipsummet Laderchium illam velut *ab ipso Deo purificatam* pronunciare in Præfatione, ubi se excusat, quòd à Magnorum Virorum sententiis persæpè recesserit, dicens: *Parcant, rogo, ori meo eruditissimi homines, si quod Deus purificavit, commune non dicam.*

S. Præsumptioni jungenda hæc insania fuerat,

ut ineptias ſuas cælo probatas jactaret! At ne extra chorum ſaltemus, ego nihil injurioſius, nihil magis blaſphemum erga Divinas res conflari poſſe crediderim hoc inſulſo Laderchii ſtylo, quem dum proſequi affectat, tot putidas, ac male olentes ſententiarum quisquilias; quæ in locis hactenùs excuſſis occurrunt, pleno modio profudit.

R. Jam non licebit ſacras dicendi formulas adhibere, & verbi Dei efficaciam tantoperè à SS. Patribus commendatam imitari: quaſi verò Chriſtiani Scriptores ab æthnicis eloquentiæ magiſtris omnem dictionum ſuppellectilem emendicare cogantur, propriæ Religionis theſauris omninò neglectis!

S. Quid interſit, jam ſemel expreſſi. Memini apud Paulum Corteſium longè aliam imitandi rationem viris Ciceronianis præſcriptam, quos non probat Ciceroni ſimiles eſſe, ut hominibus Simias, ſed ut filios parentibus. Simiæ externa quædam dumtaxat repręſentant, filii etiam interna: illæ quoſdam geſtus, & motus, nec tamen appoſitè, ſed inconcinnè referunt, quibus ad riſum excitent ſpectatores; iſti vultum, animum, indolem, mores parentum ſuorum æmulantur, quibus ſibi omnium amorem, & admirationem conciliant. Sumere hinc inde verba, & ſententiolas, atque invicem, velut teſſeras, emblemate vermiculato compingere, non iſtud eſt imitari, mi Ruffine, ſed colligere, conſuere, ac conferruminare; totum verò alicujus Authoris, & maximè Sacri ſpiritum ebibere,

& in

& in similibus argumentis similes animi sensus, servata rerum dignitate concipere, ac pari decore proferre, hoc demùm est prudenter imitari: quam laudem sacris scriptoribus non deesse scio, sed in Laderchii historia frustra requiro, ubi vix aliud passim occurrit, quàm perpetuus, & latissimè patens sacrorum Verborum abusus, & continua sententiarum S. Scripturæ impudentissima adulteratio.

R. Nondùm hos sacrorum verborum abusus, nondùm tot sententiarum scripturæ adulterationes in Laderchio demonstrasti.

S. Quando te hactenùs adducta exempla non movent, brevioribus armis tecum congrediar. Decoranè tibi videri potest sententiarum Divini Testamenti applicatio, cum quæ de Christo Domino D. Paulus enunciat, quæ in Psalmis, in Canticis, in Evangeliis de illo scripta sunt, eadem, sine ulla veniæ præfatione, PETRO DAMIANI adaptare Laderchius nititur? Legem jam quę lib.5. cap.32 num.4. pag.243. tom.III. congessit. *Cui enim Sanctorum Episcoporum dixit Dominus in Eremitica conversatione, Sede à dextris meis: vel rursus quem Eremitarum toties, tanquàm virgam virtutis suæ emisit dominus ex Syon dominare in medio inimicorum suorum? Cui unquàm dictum est, quis mihi det te fratrem meum sugentem ubera matris meæ, ut deosculer te foris, & me nemo despiciat?* Et lib.3. cap.9. pag.112. tom.II. *His studuit Petrus reformare corpus humilitatis Canonicorum Regularium in Eremitica dis-*

 ci-

sciplinæ, configuratum corpori claritatis suæ, secundùm operationem, qua etiam omnia sibi subiicere, & ad pristini fervoris apicem, quæ in Ecclesia erant, revocare summoperè concupivit. Quibus paulò post subiungit: *Jure meritò igitur extollens vocem quidam de turba ipsorum Canonicorum Regularium dixit &c.* Et lib.4. cap.21. num.3. pag.491. tom.II. *Hoc igitur principium in die virtutis suæ, cum in splendoribus sanctæ conversationis genitus fuit, perseveravit cum illo usque in finem*. Et quod aliàs expendimus in pag.245. tom. III. *Mirabile certè mysterium, ut vir Sanctissimus quod fuit permaneret, & quod non erat, assumeret, non commixtionem passus, neque divisionem*: cui similis est parodia illa, qua Theologicum axioma de Christo prolatum: *Quod semel assumpsit, nunquàm dimisit*, ita inflectit ad finem cap.32.lib.1.pag.228 tom.I. *Quæ ab eo* (nempe a PETRO DAMIANI) *universalis Ecclesia semel assumpsit, nunquàm dimisit*.

R. In his duobus locis postremò adductis nulla occurrit Sacræ Scripturæ depravatio, nec enim ex divinis libris verba illa traduxit.

S. Formulas ab Ecclesia, & communi Theologorum usu consecratas pariter nefas est in alienum sensum detortas vitiare. Adde, innumeris aliis locis, Sacræ Scripturæ loquutiones à Laderchio passim inverti, quas mirum est, non satis adhuc à te notatas, atque animadversas fuisse. Quis enim ferat emphaticam illam expressionem Apostoli de Christo Domino ad Damianum ineptè applicari, de quo Laderchius pag.353. tom.1. sic scribit: *Omnia*

nia Ecclesiastica negotia portans Verbo virtutis, sua, purgationem peccatorum fecit, tantò melior Episcopis cæteris effectus, quantò differentius, ut Monachus simul, & Episcopus præ illis nomen hæreditavit.

R. Nimii erga PETRUM DAMIANUM affectus expressioni hæc danda sunt. Porrò non mihi penitùs ignota putes tam multiplicia PETRI DAMIANI encomia, quibus à Laderchio celebratur, cujusmodi est illud pag. 8. tom. 1. *Hoc unum vobis scire conveniat, quòd à PETRI DAMIANI ortu usque ad occasum, fuit in eo laudabile nomen Domini.* Et ubi in Præfatione sic loquitur: *Propter PETRUM DAMIANI non tacebo quæ ad vitam, & laudes ejus aliquo modo spectare censebo, ut cognoscatur in terra via ejus, in gentibus salutare ejus, nec vagari incipiam post greges sodalium suorum.* Et paulò post elegantissimè sic statuit: *Audacter dicam, quod ea tempestate in Ecclesia Dei omnia ferè per ipsum facta sunt, & memoria dignum sine ipso ferè factum est nihil.* Quæ vides, Sejane, quanta moderatione sint ab Auctore nostro prudentissimè circumscripta.

S. At quibus limitibus horrendam illam blasphemiam circumscripsit, qua caput duodecimum lib. 2. concludit pag. 397. tom. 1. *ut viderent omnes gentes, quòd tantùm in illo* (idest PETRO DAMIANO) *erat Deus, & non erat absque illo Deus*, quod usque execrabile est adversùs Immensitatem, Independentiam, atque Essentiam Divinam pronunciatum?

R. Et tamen Romæ editus liber est, Magistri Sacri Palatii, & Episcopi Vicesgerentis auctoritate munitus.

S. Quin-

S. Quintinus approbatione sua turpiter utrumque fefellit. Nostris Doctoribus Sorbonicis id non excidisset. Sed pergamus. Apposita ne etiam à te judicabitur textuum, in quibus Judęorum Pontificis, aut Æthnici Præsidis mentio agitur, ad Catholicæ Ecclesiæ Principem Romanum Pontificem applicatio?

R. Id bis tantummodò Laderchius usurpavit, nempè pag. 124. tom. 1. lin. ult. *Discipulus iste Domini Jesu jam erat notus Pontifici*: & pag 356. ejusd. tomi, circa med. *PETRUS noster DAMIANI audacter ingressus Pontificem ab eo primò petiit &c.*

S. Est ne etiam præclarus sacrorum verborum usus, si quæ à Spiritu Sancto adversùs impios, & peccatores contorta sunt, contra Catholicos scriptores retorqueantur?

R. Fateor, aliquantò intemperantiùs hac in re gessisse Laderchium: dum tom. I. pag. 219. de Gulielmi Durandi sententiis ait: *Sed hæ illius assertiones sunt, velut interruptio cadens, & requisita in muro excelso, quæ comminuitur, sicut conteritur lagena figuli contritione prævalida, itaut non inveniatur de fragmento ejus testa, in qua portetur igniculus de incendio, aut hauriatur parum aquæ de fovea*. Et pag. 244. de Fortunio, Rubeo, & Flaminio sic habet: *In tenebris ambulantes vias ejus ignoraverunt, & introitum ejus & exitum, tempora non distinxerunt, & confuderunt personas*: ac pag. seq. Cardinalis Bonæ *testimonia convenientia non esse* asseverat, ubi & Petrum Diaconum insuggillat; nec non tom. II.

pag.26. *Ut lutum platearum delere* jubet quæ Didacus Franchus in historia Sancti Joannis Gvalberti tradiderat; de quo Scriptore etiam tom.III.pag.322. hæc subdit: *Non judicans honorem animarum Sanctarum, nec intelligens quæ de bono thesauro cordis sui Vir admirabilis protulit bona, quia verè stultum interfecit iracundia, & parvulum occidit invidia, dum his, & aliis patet justum circumvenire, quoniam inutilis est sibi, & contrarius, ut credit, operibus suorum.* Verùm in his ego tantum crimen relucere non video.

S. Leviuscula, fateor, hæc sunt: at quid de Clarissimo Ecclesiasticæ Bibliothecæ Scriptore Dupinio pag. sequ.323. scribit Laderchius? nimirùm, hanc Bibliothecam infamare nititur, sic de illa, & ejus Authore pronuncians: *in qua tantas refert fabulationes, sed non ut lex Dei, perditque sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobat, & nihil sibi minus esse videtur à magnis Apostolis, & Doctoribus, tanta audacia dedit cor suum, ut sciret prudentiam, atque Sanctorum doctrinam, erroresque, ac stultitiam, tanta temeritate venerabilium Doctorum, & Ecclesiæ Patrum scripta, ventilat, trutinat, & tanquàm potestatem habens, recipienda, vel non acceptanda proponit, licet reverà nihil sit, & ex ore suo judicetur, vel non legisse quæ scripsit, vel non intellexisse quæ legit.* De quo scriptore etiam paulò ante pag.315. hæc effutierat: *Qui in Sanctorum Ecclesiæ Patrum tota die injustitiam cogitavit lingua sua, sicut novacula acuta fecit dolum, & dilexit omnia verba*

ba præcipitationis lingua dolosa. Unde scripsit, nimis credulum Beatissimum Doctorem N. fuisse (quæ tamen in re longè mitior fuit Dupinii, quàm Bellarmini Cardinalis in Damianum censura, ille siquidem hoc tantum asserit *Il rapporte quantité de visions, & d'apparitions, aus quelles il ajorute creance tres facilement;* cum hic apertè dixerit, *fabulis similiora esse, quàm historia*, quæ à Damiano de aviculis referuntur) ab eoque tanquàm *à labiis pollutis* sibi recedendum notat; quasi non potius Laderchius ipse fugiendus sit, qui prophanis labiis Sacras res adeo fædare, ac deturpare præsumpsit.

R. Jamjam teneo, quæ te adeò infestum Laderchio causa reddiderit; amici nempe Doctoris apertior vituperatio. Nihil de aliorum scriptorum vituperationibus exaggerasti, dissimulans etiàm quòd Cardinalem Bellarminum inter eos enumeraverit Laderchius, *qui detraxerunt sermonibus Beatissimi Doctoris, & ad increpandum eloquia concinnuerunt, & in ventum verba protulerunt, super pupillum irruerunt, & subvertere nisi sunt amicum suum*, pag. 321. ejusdemmet tom. III. At Dupinium tuum à Laderchio vel minimùm tangi non pateris: hic scilic. & stimulus te vehementius pungit, verùm refellendæ priùs erant Laderchii rationes, quibus illum tot nominibus redarguendum ostendit.

S. Cras omnia diluam, interim nego, me amicitiæ causa cuiquam infensum redditum. Virum sanè eruditissimum, atque ingentibus in literariam rempublicam meritis celeberrimum Dupinium suspicio, ac mecùm eundem summa existimatione

dignum judicant doctissimi, ac piissimi nostri Regni Scriptores, quos inter Clarissimus Mabillonius, qui in libro de studiis Monasticis Dupinis Bibliothecam Ascetis legendam non semel commendat; neque verò me, ob hujus laudatissimi Viri criminationem, à Laderchiana historia factum esse aversum ulli persuadebis; tùm quia non magis Dupinii gloriæ judicium Laderchii derogat, quàm solis lumini noctuæ, bubones, ululæ, vespertiliones; tùm quia nimis apertum est, nonnisi vindicandæ Sacrarum Literarum dignitatis amorem, ac veritatis studium hos à me sensus elicere, citra ullam calumniæ speciem, citrà ipsius Auctoris odium, cui fausta omnia ex animo apprecor.

R. Laderchii nomine plurimas habere tibi gratias me convenit, uberiores etiam referrem, si (quod noster Historiographus in præfatione significavit sibi deberi, ibi: *Parcendum est igitur debili, & cæco, qui primus fragilem tanto commisit pelago ratem*) ejus qualescunque in hac historia labores æquibonique fecisses, & stylum, quem primus in hoc argumenti genere excoluit, sin minùs probares, gratis saltem auribus, animoque benevolo suscipiens, non in ridiculi oblectamenti materiam jocis, & sannis tuis convertisses.

S. Quæ in Laderchii opere continebantur sincerè aperui; si risum excitent, quod nec tu dissimulare jam potes, sibi Auctor imputet. Interim prosequamur.

R. Sol ad occasum properat: posses in crastinum differre.

S. Statim expediam. Unum hoc rursus interrogo, ferendanè sit ejus audacia, qui propheticas sibi visiones arroget, & Divina Vatum mysteria somniis suis vanissimè adscribat?

R. Id nusquàm tentavit Laderchius.

S. Quò spectant igitur verba illa in tertia Præfationis paginâ, ubi de se ad hanc historiam scribendam accincto sic loquitur: *sed ecce aqua redundantes a mirabilibus Hominis Dei operibus a latere dextro; cum enim egrederetur Vir ad Orientem, qui habebat funiculum in manu sua, ut metiretur egregii Patris virtutes, & merita, & mensus est mille cubitos: traduxit me per aquam usque ad talos, rursùmque mensus est mille, & traduxit me per aquam usque ad genua, & mensus est mille, & traduxit me per aquas usque ad renes, & mensus est mille, torrentem quem non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ profundi torrentis, qui non potest transvadari, & tunc aperti sunt oculi mei, & in fractione panis agnovi meis viribus non esse magnitudines tam mirifici Doctoris annunciare &c.* Nonnè hæc omnia ex cap. 47. Prophet. Ezechiel. transcripta sunt, & in alienum sensum detorta, ut Laderchianæ phantasiæ subserviant?

R. Non animadverteram hęc prophetica esse. Numquid & sequentia ex Prophetis desumpsit, quę insignem metamorphosim exprimunt, videlicet: *Nam parvus fons, quem mihi proposueram, crevit in fluvium, & in lucem, solemque conversus est?*

S. Mardochęi somnium non agnoscis in cap. 10. lib. Ester descriptum? Illud est, quod egregio sa-

nè

nè judicio, ac mira proportione ad suę narrationis Subiectum accomodavit Laderchius. At nihil magis Auctoris hujus acre judicium, in proportione sententiarum suarum sectanda, commendat, quàm ubi librum suum oculo cęcutienti, & pedes Pontificis natatorię Siloe comparans in nuncupatoria ad Clementem XI. Pont. Max. ait: *Hęc fuit mihi consolatio, quòd libellus iste mitteretur ad natatoria Siloe, ad pedes nimirùm Sanctitatis Tuę, ubi lavaretur à complacita benignitate tua, & veniret videns: Si enim respicies, labes cadent, & albugo, quam insipientia scribentis super hunc oculum obduxit, à sapientissima manu tua tracta, quasi membrana ovi, egredietur, & ille statim visum recipiet.* Ubi, & spontè Canticorum similitudinem affectans, hęc subdit. *Noli enim, Beatissime Pater, considerare, quòd in scriptione hac fuscus sim, quia nimirùm splendoribus suis decoloravit me iste sol, propter magnitudinem glorię ipsius, nam oculus tuus iste, ipse me à me avolare fecit.*

R. Pergis adhuc misero illudere.

S. An ego aut primus, aut solus operis Laderchiani derisor? Consule iterum Auctorem Diarii Gallici in hujus historię recensione, diar. 34. superiori anni 1704. exhibita. En quid ille de novo hoc stylo pronunciet: *Cet Auteur affecte de se servir par tout de mots, & de phrases tireès de la Vulgate, du Messel, & du Breviaire. Il s' est sans doute imaginè, qu' on ne sçauroit dire, que de bonne choses auec des paroles sanctifieès, & que le Latin de ces saints*

Liures , quelque usage qu'on ne fasse , porte toujours avec soy une certaine onction. Mais le Pere Laderchius pouroit bien s' estre trompè dans ces deux points. Quant' au premier , tous ceux , qui liront son ouvrage s' apercevront aisement , qu' il est rempli de pensées qui manquent de justesse , & de metaphores , qui n' ont aucun rapport avec ce que l' Auteur veut dire. Quant au second , on est bien moins edifie , que surpris de recontrer au milieu d' un discorurs indifferent , tantot le commencement d' un Graduel , tantot un bout de Preface , & tantot une demiperiode de l' Evangile de Saint Jean , ou quelque autre endroit de l' Ecriture. Il est difficile qu' un langage de cette nature plaise aux gens de bon gout. On est accoutumè à attacher aux paroles de l' Ecriture l' idèe des obiets , dont elle parle , & l' on ne sçauroit souffrir , qu' avec beaucoup de peine , l' application de ces paroles à d' autres obiets. On lit avec respect dans l' Evangile , & dans la 1. Epistre de Saint Jean , ce tèmoignage , que l' Apotre se rend à Luymeme : „ C' est ce meme disci-„ple , qui rend temoignage de ces choses , & que à „ecrit cecy , & nous sçavons que son têmoignage est „veritable : Car il nous à annoncè ce qu' il à entendu , „ce qu' il à veu de ses yeux , ce qu' il à considerè „avec attention , ce qu' il à touche de ses mains , & „il nous l' a annoncè afin que notre societè soit avec le „Pere , & son Fils Jesus Christ. Mais il n' y à gue-„res d' apparence , que ces momes paroles fassent un bon effet appliquèes comme un discours ordinaire à Jean disciple de Saint Pierre Damien , sous pretexte

qu' il

qu' il a vecu quelque temps avec ce Saint , & qu' il en à ecrit la vie .

R. Permitte , ut Auctoris nostri verba , quę de Joanne Petri Damiani discipulo profert , in textu latino conferam : occurrunt hęc pag. 451. tom. III. *Hic est discipulus ille , qui testimonium perhibet de his, quę magna ex parte supra congessimus de Beatissimo Viro , & scripsit hęc , & scimus quia verum est testimonium ejus ; nam quod audivit , quod vidit oculis suis , quod perspexit , & manus ejus contrectaverunt de operibus admirabilis Patris , annunciavit nobis , ut & nos societatem habeamus cum illis , & societas nostra sit cum Patre , & Filio ejus Jesu Christo .* Satis aptè conveniunt . Prosequere .

S. *L' Apostrophe , que le Pere Laderchius fait au même Saint à la fin de son livre , n' a pas , ce semble , meilleure grace ; & l' on est en quelque sorte choqué de lo voir parler a S. Pierre Damien dans les memes termes , dont Jesus Christ se Servoit pour parler de son Pere , ou à son Pere : ,, Mon Pere [dit cet Autheur] ,, vous m' avez appris les veritez , que j' ay annocèes ,, de vous ; Je n' ay point parlè de moy meme ; j ay dit ,, tout ce que j ay ouy , & j ay annoncè ce qui a este ,, fait . Si donc je vous ay glorifiè en quelque chose , je ,, vous ay glorifiè , parceque j ay annonce ce que j avois ,, reçu de vous . Pieux Lecteur [ajoute t' il] tout ce que ,, mon Pere a eu , je me le suis rendu propre , c' est pour- ,, quoy j ay dit : j ay reçu de luy , & ce que j ay reçu , ,, je vous l' ay annoncè .*

R. Vereor , ut hujus textus exactam dederit Dia-

rii scriptor interpretationem: legam igitur pag. 454. *Omnem siquidem penè veritatem, quam annunciavi de te, docuisti me; nec enim loquutus sum a me ipso, sed quacumque audivi, loquutus sum, & quæ facta sunt, annunciavi. Si igitur in aliquo te, Pater, clarificavi, clarificavi, quia de tuo accepi, & annunciavi. Omnia enim, pie lector, quacumque habuit Pater meus, mea feci, propterea dixi: quia de suo accepi, & annunciavi tibi.*

S. Nonnè ad verbum omnia penè respondent?

R. Non multum interest.

S. Vides igitur, quàm sit communis, eademque justissima eruditorum de Laderchio querela: & sane stuppeus sic oportet, qui aliud de hoc Authore judicium ferat. Quem enim cordatum virum non subeat indignatio, dum sacra verba ita usurpari videat, ut defectu congruæ proportionis non pietatis sensum, non venerationis affectum valeant excitare, sed risum potius, aut stomachum moveant, rerum disparatissimarum combinationi, atque vel ineptæ, vel temerariæ, sæpius inopinatæ, ad proprium subjectum applicationi necessariò consequentem? Miror sanè, te adhuc vulgari errore correptum ita cæcutire, ut patentissimæ veritatis radiis oculos nondùm aperias.

R. Mecum ipse nocte sequenti singula conferam; nec enim præcipitanda est de tanto viro sententia.

S. Si maturo judicio, animoque ab omnibus partium studiis alieno, quæ hodie consideravimus, atten-

tentiùs examinaveris, nullus dubito, quin mihi tuum suffragium cras sis oblaturus. Vale.

R. Fac te mihi sospitem summo mane restituas: jucundiorem spero de rebus, quàm hactenùs de verbis fuerit, alloquutionem.

Colloquium IV.

CENSURA

Qua Historici lapsus ad centenarium numerum in Laderchiana scriptione notantur.

S. Adsum ex condicto, Ruffine; Laderchium exhibe.

R. Adest hic imperterritus; & omne sibi discrimen evasisse videtur, postquàm & grammatici ferulam, & critici scuticam effugit.

S. Lividum tamen video, suique in Galliam adventus pertæsum. Quàm mallet scriptores nostros maledictis suis non provocasse!

R. Et verba, & Stylus, externa sunt Scriptorum ornamenta: rerum nucleus intimè perscrutandus est: modò nihil in historiam impegerit Laderchius, ab omni censura immunis est dimittendus. Propria historici laus veritas est: una hæc attendenda, nec

in

in his immorandum, quæ cum pædagogis, aut academicis habet communia.

S. Quid, si ne hanc quidem laudem sit assequutus?

R. Facilem sibi ab æquis Lectoribus veniam sperat Laderchius; nam ad finem lib. 5. pag. 246. tom. 3. sic opportunè scribit: *A benevolis Lectoribus meis Ciceronianum illud mihi dici confido: amori nostro plusculùm etiam, quàm concedit historiæ veritas, largiare.*

S. Egregiam confessionem in parum verecunda postulatione! supersedere deinceps ab omni ejus historiæ examine possumus.

R. Non id eo sensu a Laderchio dictum putes, ut quidpiam sibi contra historiæ veritatem excidisse fateatur, sed eo loco se excusat, quòd multa præter historiam congesserit. *Dixerit quispiam,* inquit, *me nimis prolixis observationibus ab historia elongatum.*

S. Et hoc ipso Historiographus noster jure carpendus, quòd promissis in Præfatione juratis non steterit: *Nam cùm unam,* inquit, *tantummodò unius Sancti historiam, & gesta in animo meo quærere proposui, superfluum duxi investigare de omnibus, quæ ipso vivente facta sunt sub sole, ut sapienter nonnulli faciunt, qui dum Sancti alicujus enarrare gesta contendunt, attingunt a fine usque ad finem quidquid in toto orbe eo tempore, vel a Regibus, & Principibus, vel in Conciliis, aut hæreticorum Synagogis, vel in præliis, & seditionibus gestum est, itaut non prætereat flos temporis illius,*

quem

quem carpere non velint, vel pratum, quod non pertranseat luxuria eorum, cujus ubiquè signa tali pacto relinquunt, dum tantòpere phylacterias rerum, quæ ad id, quod sibi proposuerant, & legenti promiserant, non pertinent, magnificè dilatant, absit igitur hoc à me ut dum unam mihi est necessarium quærere, & inventam, ut promisi Lectori meo, tradere, vitam S. PETRI DAMIANI, turber erga plurima, quę illo vivente acta sunt, vel in Sacerdotio, vel in Regno. Quamquàm ambiguum relinquat Laderchius an hic mos ejus judicio probandus sit (*ut sapienter nonnulli faciunt*) an improbandus, quandò illum lascivientium peccatorum consuetudini deinceps comparat, atque ab illo sibi maximè cavendum proponit.

R. Promissa religiosè observavit Laderchius; nàm licèt illi multa extra Damiani historiam, qualem ab Joanne ejus discipulo compendiosè traditam, atque ab aliis scriptoribus deinceps non multò magis amplificatam habemus, explicanda fuerint, non tamen hæc ab ejus instituto prorsùs aliena, sed omnia ad vitam S. Doctoris spectantia deprehenduntur.

S. Ut plurima omittam in cap. 17. 19. 20. 21. 40. lib. 1. atque alibi occurrentia, quæ inter PETRI DAMIANI acta cur referantur ignoro; totus fermè quartus liber Charitatis virtutes enarrans, quintus Episcoporum munia describens, sextus Sanctorum fidem illustrans (misellis quibusdam relatiunculis præcisis) non magis hujus, quam alterius Sancti Episcopi

copi gestis commentandis aptari potest, adeòut nihil amplius ad acta Damiani pertinens ex tanta librorum mole didicerim, quod non in vitis dudùm exaratis, & in scholiis per Abbatem Cajetanum ad illustranda Sancti Viri opuscula, jam adductis contineretur.

R. Ego verò permultas, rarasque notitias a Cajetano minimè animadversas, hinc hausisse me fateor: ut quod Damiani regulam professos asserit lib. 1. cap. 14. num. 3. † Sanctam Claram Virginem Assisiatem D. Francisci Sororem, & † S. Petrum Cœlestinum Eremitam Æsermiensem, abdicato Pontificatu clarissimum.

† Lapsus historicus primus. †Lapsus 2.

S. Quibus porrò argumentis id nobis it persuasum?

R. Ad Claram quod attinet: invictè, ut videtur, id probat ex Gregorii IX. bullis ipsam, ejusque sorores, palàm appellantibus Ordinis S. Damiani.

S. Vah supinitatem! Si bullas, & privilegia eo pertinentia bonus vir evoluisset æquivoci nominis fallaciam subodorasset; haùd enìm infrequenter iis hanc formulam insertam deprehendere poterat *secundum Institutionem Monialium inclusarum Sancti Damiani Assisiatis*: quod indicat non de regula à PETRO DAMIANI Ravennate conscripta, quam Moniales illæ profiterentur, loqui Pontificem, sed de peculiari Institutione Monasterii Sancti DAMIANI Martiris propè Assisium extructi, in quo S. Franciscus D. Claram collocaverat.

R. Te

R. Te quam paucissimis a Clara expedisti; ac circa Petrum Cælestinum luctandum tibi erit cum Auctoribus, quos citat, eximiis, Martino Polono, Petro Ricordato; & Arnoldo Vvione, quem ipse perpetuò Vvironem appellat: nàm hi Cælestinum Ordinis Sancti Damiani constanter asserunt, & sub PETRI DAMIANI institutis Monasticen professum fuisse non dubitant.

S. Fabulæ! Si Cælestini acta, vel ab ipsomet Sancto Viro de se scripta, vel quæ ex Petro Alliacensi, & Cardinali S. Georgii, refert, suisque notis ad diem 19. Maii Daniel Papebrochius illustrat, consulvisset, animadvertere poterat, locum non esse hujus Damianæ regulæ professioni, de qua altum ubique silentium occurrit. Et verò si Eremitica vita, quam Cælestinus cum suis discipulis agebat, ad Avellanensium normam, quorum institutis nomen dedisset, composita fuerat, cur timuit ne in Lugdunensi Concilio Congregatio sua aboliretur, nisi a Gregorio X. propriæ vivendi rationis confirmationem impetraret?

R. Cur ergo apud tot Auctores Cælestini iidem habentur cum Avellanensibus, quos PETRUS DAMIANUS instituit.

S. Quæsito satisfaciet laudatus Papebrochius, qui in propylæo Maii ad verba cujusdam mss. per ipsum allati, nimirum *Hic Cælestinus prius vocabatur F. Petrus de Monte Murrone de Ordine, qui a plerisque dicitur S. Damiani, sub regula S. Benedicti Abbatis*, sic adnotat: *Est tamen diversissimus Ordo con-*

congregationis S. Crucis Avellanæ, seu fontis Avellani; cui sub annum millesimum inchoatæ, famam incrementumque dedit Prior suus post anno 70. S. PETRUS DAMIANI, de quo ad 23. Februar. egimus, & hac posteà dicta Cælestinorum Congregatio; quia tamen utraque sub regula Benedictina Eremitici rigoris perfectionem æmulata est facilè fuit utriusque nomen in principio vulgariter confundi; quemadmodum Clerici regulares Soc. Jesu a Clericis Regularibus Theatinis propter habitus, institutique similitudinem magnam, neque olim à multis distincti fuerunt, neque hodiè dum nomine distinguuntur apud Hispanos, & utrique vocantur Theatini. Interim ex illa ipsa æquivocatione apparet, perquam antiquum esse hujus compendii nisso Auctorem, & initiis ejus ordinis proximum, quem a S. PETRI DAMIANI Ordine tunc adhùc tam malè distinguebat vulgus &c. Hæc Papebrochius.

R. Benè est: At enim convenire videntur scriptores, Cælestinum in Monasterio B. Mariæ de Faifoliis Diæcesis Beneventanæ Monastico schemmate indutum, eidemque aliquandò præfuisse: quod quidem
† Lapsus 3 Cœnobium † a PETRO DAMIANI ædificatum conjectatur Historiographus noster loc. cit. num. 7. eoquod in Beneventana Civitate se commoratum fuisse testetur in Apologia ob dimissum Episcopatum ad Alexand.

S. Quidquid sit de re ipsa, miror acumen argumenti, quod acerrimum Viri judicium, & ad historiam apprimè factum, evincit, Quamquàm haud fortè aptiùs persuadeat Cœnobium illud a Damiano

po-

potius, quam ab Othone III. (qui æquè Beneventum se contulit, cum indè corpus B. Bartholomei Apostoli Romam asportasse dicatur) ædificatum. Aut etiam pari jure dixisset, quæcumque Monasteria Mediolani, Florentiæ, Romæ aliisque in urbibus, in quibus PETRUS DAMIANI aliquandiù commoratus est, eà præsertim ætate constructa sunt, nisi certum conditorem aliundè ostendant, eumdem DAMIANUM Auctorem recognoscere debuisse. Quam latus in historiam progressus, hoc aditu aperto antiquariis manebit!

R. Sedes habet argumentorum planè singulares hic Auctor, quas non paucis exemplis illustrare possem; verum, ut Beneventani illius Monasterii ædificationem nullis aliis indiciis compertam, neminique ad hanc diem scriptorum animadversam, ejus industria in aperto positam gratè accepisti, haud injucundum tibi fuerit gravia rerum audire momenta, quibus contra Hieronym. Rubeum Ravennatem, & Augustinum Florentinum Camaldulensem, Monasterii S. Mariæ Faventiæ † ædificationem Damiano tributam expungit, ut videas non uno studio se ad hanc scriptionem Historicum nostrum contulisse, sed ut pro arbitrio, & evellat, & destruat, & ædificet, & plantet. †Lapsus 4

S. Non uno, ut arbitror, argumento utrumque scriptorem confutabit.

R. Immò tribus impetit jaculis dicam an fulminibus? Nam lib. 3. cap. 26. n. 12. & 13. contendit, Damianum in lib. *Gratissimo* de hoc Monasterio loqui

ve-

velut ad se nullatenùs pertinente iis verbis : *Qui monasterio nunc praest Beatæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ juxtà Faventinæ urbis mænia constituto*. Ubi è contra, cum de locis a se constructis agit, id explicare solet, velut cum ait : *In illa Eremo, quam, Auctore Deo, in latere Suavicini montis ipsi construximus*. *Sed evidentius*, inquit Laderchius num. 14. *conicii posse*......

S. Festina lentè. Hoc ipsum primò expendamus cui uni tria reponi posse video. Primò, nulla necessitate Damianum adigi ad exprimendam fundationem suàm, quotiès de Monasterio abs se ædificato loquitur. Secundò, quod ait : *juxta Faventinæ urbis mænia constituto* non exprimendo à quo illud constitutum esset commodè interpretari posse de constitutione ab ipso facta, quasi diceret *a nobis constituto*. Tertiò, Gamugnensem Eremum à Damiano proculdubio ædificatam esse, teste Joanne discipulo in ejus vita, nec tamen hanc ædificationem à Damiano exprimi, cum de illa Eremo mentionem ingerit, sivè in vita B. Dominici Loricati agens de Michaele Polensi, sive alibi passim; Nec semper de Suavicini montis Eremo loquentem Damianum, illius ædificationem sibi vindicare, quod & ridiculum esset, ac vanæ ostentationis plenum, adeòque à consuetudine Damiani omnem ubique affectationem fugientis, quàm maximè abhorrens.

R. Huic quidem primò argumento, & ipse non admodum fidit : quare prosequitur : *sed evidentius conicii posse videtur, nullatenùs ad Petrum idem Ca-*

no-

nobium pertinuisse, ab infrà ponenda relatione Joannis ejus discipuli qui, præterquam distinctè narrat duo tantum Monasteria in comitatu faventino PETRUM DAMIANI ædificasse, nempè Acereta, & Gamonium ideò non apparet cur loqui non debuisset de illo Sanctę Marię extrà Portam, si illud quoque construxisset.

S. Ubi nam apud Joannem discipulum legitur Suavicinensis Eremi ædificatio, quam ipsemet Historiographus noster ex Damiani verbis supra commemoravit? Si ergo evidens est aliorum locorum institutionem à Joanne pretermissam fuisse, quorsum ex ejus silentio probat, Monasterium Faventinum S. Mariæ à Petro non esse constructum, immò nec ad eundem ullatenùs pertinuisse contendit, contra veterem ejus Provinciæ traditionem, & non modo Rubei, & Augustini Florentini, sed antiquiorum historicorum alterius Avellanensis alterius Cassinensis, quos ipsemet paulò ante n. 9. & 10. adduxerat testimonium?

R. Non hæc summa negocii est: quæ sequuntur rem planè conficiunt. Audi: *referens deindè* (idem Joan vitæ PETRI DAMIANI scriptor) *quæ consequuta sunt obitum Beatissimi Viri, dicit [quod cum transitus ipsius illico nunciatus fuisset in Urbe ab iis scilicet, qui circa eamdem domum excubabant, ne corpus exanime à suis Monachis, qui de vicino ipsius Monasterio advenerant, furto asportari potuisset, tota civitas repentè ad ejus exequias ingenti concursu læta properavit]; si igitur Faventinci Cives*

ces accepit timor [en deductionem] *ne furto asportari posset à Monachis, qui de vicino ejus monasterio convenerant, Sanctissimi Patris venerabile corpus, Monasterium ubi mortuus est, non erat vel ab eo fundatum vel ab illius Monachis non incolebatur; nam ut ipsius Monachi idem sacrum corpus possiderent, si in proprio Monasterio fuissent, necessè non habuisset aliò illud transferre.*

S. Mascula planè deductio! quasi verò inter ejusdem Ordinis Monasteria communionem licèt mutuam, in reliquis observantia, non passim specialis æmulatio consurgat, quæ potioribus, vel reliquiarum sacrarum thesauris, vel Ecclesiasticorum ornamentorum spoliis, ditentur. Quot contentiones de Sancti Benedicti corpore inter nostros Floriacenses, & Cassinates Monachos exortę sunt? Nonnè PETRUS ipse DAMIANI in vita S. Dominici Loricati testatur, Suavicinenses Monachos veritos esse, ne sancti illius Viri corpus à vicinis ejusdem Congregationis Monachis raperetur? *Fratres autem* inquit, *corpus ejus, ne à vicinis Monachis eorum raperetur è manibus, in eàdem, in qua defunctus est cellula defossa humo, celeriter obruerunt*. Sic teste Bollando ad diem 7. Febr. à Classensibus nonnullis Monachis S. Romualdi sepulcrum apud cœnobium Valliscastri tentatum est, immò temerè violatum, ut sacra lypsana ad suum potiùs Monasterium deferrent. An igitur Valliscastri Monasterium non erat, vel à Romualdo fundatum, vel ab ejus Monachis non incolebatur?

R. Non

R. Non omninò fortaſsè par fuerit ratio; quamquàm haùd perindè obvium ſit diſcrimen coniicere. Olim tamen hac de re & ipſe dubitaveram, ex quo PETRUS DAMIANI Abbatem Faventinum ad ſe directum vocet lib. 5. epiſt. 10. *filium ſuum*, quaſi nempè ex Monachis ſuis aſſumptum, undè pronum erat inferre, Monaſterium ipſum à Petro ædificatum fuiſſe, aut ſaltem ejus diſciplinam ibi receptam.

S. Melior ſanè tua hæc, quàm conjectura Laderchii, cujus errores dum ipſe per te ſatis animadvertis, atque refellis, neſcio cur ità mecum diſſimules, ut defendere velle videaris.

R. Scrupulum, quem mihi hæc hiſtoria injecerat, per te ereptum volebam: qua etiam de cauſa in memoriam revoco, quod heſterna die, te reclamante, notaveram circa Theuzonem Eremitam, quem Florentiæ à PETRO DAMIANI potuiſſe conveniri negat Laderchius lib. 3. cap. 5. num. 10. pag. 54. tom. II. ubi Cardinalem Baronium, qui ex verbis S. Doctoris (*per longiora te ignotarum Regionum loca, per præcipitia montium, per ſaxoſa alpium prærupta quæſivimus*) Theuzonis colloquium Florentiæ contigiſſe deduxerat ſuiſmet armis aggrediens, ſic efficaciſſimè confutat: *Sed ex his potiùs conicitur*, † *non Florentiæ manſiſſe Theuzonem, cum illum alloquuturus Petrus adivit, ſed alibi, nempè in aliqua ſolitudine, in qua ſe abdiderat è proprio Monaſterio profugus.*

† Lapſus 5

S. Putaſne intelligat Laderchius quæ legit, quæ

ipſemet paulò ſupra reſcripſit pag.37. in ipſa Epiſt. PETRI DAMIANI ad Theuzonem, quem ex *urbicis Eremitis* fuiſſe objurgat, atque apertiſſimè non in aliqua ſolitudine, ſed in ipſa urbis frequentia commoratum notat iis verbis. *Huc accedit, quòd Eremiticam vitam, non in eremo, ſed intra populoſæ Urbis mœnia ducere decrevisti?*

R. Tam finitimus eſt terminus viæ, ut DAMIANUM de aſperitate Alpium ex Umbria in Etruriam ducentium conquerentem, de loco ipſo, in quo Theuzonem invenerit, commodè interpretandum cenſuerit Author noſter; condonari autem poteſt in re parùm obvia lapſus iſte leviſſimus.

S. Immò, niſi me fallat oblivio, Laderchius ipſe ſibi contradicens fatetur, Florentiæ juniorem fuiſſe Theuzonem, quando illum PETRUS DAMIANI cum Abbate Albizone eſt alloquutus, tum ibidem ſenuiſſe recluſum. Videſis paulò infra pag.58. *Erat enim tunc junior Theuzo, deinde ſenuerat recluſus Florentiæ, ubi etiam mortuus eſt decrepitus, poſthabito conſilio Petri redeundi ad Monaſterium, licèt ipſius monitis emendaſſet in melius, quæ ignoranter peccaverat, ut ex virtutibus, quibus deinceps emicuit, omninò dicendum eſt.*

R. Eſtò hac in re cauſa ſua Laderchius excidat, Baronium tamen invictè refellit, quòd hoc
†Lapſus 6 colloquium Damiani, & Theuzonis † ob cauſam Florentini Epiſcopi Petri Simoniaci contigiſſe crediderit.

S. Quibus porrò argumentis clariſſimum Hiſtoriæ

riæ

riæ Ecclesiasticę Parentem tam turpiter lapsum Laderchius ostendere nititur?

R. Acutissimis ratiociniis id evincit, quæ singillatim proponam. Primò sub num. 11. pag. 55. *Cum etenim ipse* (Theuzo) *legatur obiisse* † *paulò post legationem Petri* [qua scilicèt Florentiam venerat ad Episcopi Simoniaci controversiam componendam] *non est assignabile tempus, quo potuerit eam vitæ formam servare, qua, juxtà Annalium Scriptorem, fuit exemplar Anachoretarum, oraculum populi, adeout ejus consilio Imperator Henricus, aliique Principes, & Sanctus Joannes Gualbertus obtemperaverint.* †Lapsus 7

S. Undè habet Laderchius, quòd Theuzo Eremita paulò post Petri legationem obierit? Hæc anno 1063. contigit, Theuzonis verò mors in annum 1070. incidit. Quòd si etiam eodem anno ad plures abiisset Theuzo, quid hoc ejus emendationi obstaret, quæ parvo dierum spatio, divina opitulante gratia, haberi potest? Cæterùm Theuzonis fama apud Henricum, & Joannem Gualbertum longè ante PETRI DAMIANI colloquium celebris erat, quippe hujus Eremitę consilio Joannes Gualbertus Abbatem Sancti Miniatis, & Attonem Episcopum Simoniacos proclamaverat, jam inde ab anno 1034 circa suæ conversionis primordia.

R. Validior erit fortasse, quàm num. sequ. promovet machina: quia, inquit, in Epistola, quam Damianus post illud colloquium ad Eremum reversus Theuzoni scripsit, mentio est S. Dominici Loricati tanquàm viventis; ergo ante annum 1061.

 quo

† Lapsus 8. quo Dominicus Loricatus † obiit, colloquium illud contigerat, cum Florentina Legatio Petri ob Episcopum Simoniacum in annum 1063. inciderit.

S. Gratis fingit Dominicum anno 1061. mortuum ante Florentinam Damiani Legationem; cum potiùs ex Damiani Epistola illum adhuc superstitem supponente, inferre debuerit, longè post hujus Legationis tempus illum obiisse.

R. Hoc verò tueri non poteris adversùs tertium Laderchii ratiocinium sub num.13. pag.56. indè petitum, quod in Epistola de vita SS. Rodulphi Episcopi, & Dominici Loricati ad Alexan. II., quam † Florentiæ † tunc scripsit Damianus, aliam epistolam ad Theuzonem datam allegat, quam ideò oportet dudum scriptam fuisse ante exortam de Simonìa Petri Episcopi controversiam, ante ipsius Damiani Legationem, immò etiam ait Laderchius, † *antequam esset Cardinalis, cum esset junior, ut videre est ex ipsius capite ultimo.*

† Lapsus 9
† Lapsus 10.
† Lapsus 11.

S. Nego Epistolam illam ad Alexan. II. datam Florentinæ illius Legationis tempore; nego & Florentiæ scriptam fuisse, in utroque insigniter hallucinatus est Historicus noster. Si Legationis illius tempore epistolam hanc scripsisset Damianus, statim ac Florentiam pervenit, ut supponit Laderchius, aliquid inseruisset ad susceptam Legationem pertinens, ut Pontificem de negotii sibi impositi prospero, aut sinistro cursu commonefaceret. Si Florentiæ scripta foret, non diceret ibi

ibi Damianus, nuncium de morte Eugubini Episcopi ad se pervenisse, *cum Florentinæ Urbis mœnia subiit*, sed *cum hujus Urbis &c.* Ipsummet Epistolæ argumentum indicat, illam post reditum ad Eremum scriptam fuisse, ut sincera gestorum Rodulphi, & Dominici narratione Pontificis desiderio faceret satis, qui rogaverat, ut aliquid ipsi scriberet, *quod & ad ædificationem legentium suscipi, & inter scripturas mereretur authenticas reservari*. Ex ipso autem ultimo epistolæ ad Theuzonem cap., undè Laderchius infert, illam scriptam esse diù ante collatam Damiano Cardinalitiam dignitatem, cum esset adhuc junior, ego infero, seniorem Damianum fuisse, ait enim: *Quia autem faciem vestram ulteriùs in hac vita visurum me esse non spero, Divinam deposco clementiam, ut soluto militiæ cingulo, nos in mutuos repræsentet aspectus.* Quod potius senis, & mortem sibi imminentem timentis, quàm junioris caracterem videtur exprimere.

R. At quid repones quarto argumento ex epistolæ ipsius ad Theuzonem contextu, quo constat † non ad propositum Episcopi Florentini, cujus nulla ibidem mentio occurrit, sed † ad inducendum Theuzonem, ut ad suum Monasterium rediret, undè ob simultates cum Abbate Albizone, subortas recesserat, scriptam illam fuisse?

† Lapsus 12.

† Lapsus 13.

S. Repono. Haud satis expensam à Laderchio epistolam illam; quò enim spectat illa Theuzonis temeraria contentio de Beatorum quorundàm virorum

rorum, ipsorumque summorum Pontificum Leonis, & Gregorii Sanctitate, nisi ad infirmandam eorum auctoritatem pro validitate Ordinum, aliorumque Sacramentorum, quę Simoniaci Episcopi contulissent? Et si verò ineundę etiam inter Theuzonem, ejusque Abbatem concordię mentio ibidem occurrat, hęc nonnisi tanquàm accessorium colloquii illius argumentum assumitur, ut citra contentionem de re omnibus notissima Theuzonem Damianus conveniret; ait enim: *Cum hęc & alia plura in sermocinationis decursu impudenter effluerent &c. ad tuti portus sinum applicare studuimus, dum de charitate, in qua nulla quęstio videbatur, adorti sumus, quippe erat inter te, & Abbatem tui Monasterii non ferenda simultas, &c.* Sed quod rem extra dubium ponit, est Theuzonis audacia, qua Damianum à suo colloquio, & contubernio repulit, ut paulò post narrat ibidem S. Doctor. *Tandem per semicintias correpti, violenter excludimur, & prę damnatis foribus familiare colloquium ulteriùs non meremur.* Quam temeritatem recolit, eidemque alludit in Epist. ad Cives Florentinos, quę opusculum 30. complet, & tota (Laderchii confessione) circa hanc Simoniacorum controversiam versatur, dum inter alia sic habet cap. 4. *Nos ipsissimi sumus, qui eorum indigni judicamur alloquio, qui eorum sociale contubernium non meremur.* Quod & ipse Laderchius fassus erat paulò supra pag. 9. & 10. tomi 2. *In hac enim Legatione, in qua vel pseudomonachorum vulpes foveas habuerunt, vel Sanctorum Monachorum*

vo-

volucres cęli nidum, *&* *Petrus Damiani è contra non habuit ubi caput suum reclinaret*. Id enim constat, nonnisi in Theuzonis negotio contigisse.

R. Egregiè hac in re Baronium vindicasti, sed evidenti calculo ejus auctoritatem fermè prostravit Laderchius lib. 1. cap. 1. num. 4. in pag. 6. tom. 1. Nec enim probat quod Baronius asserit, Petrum ętatis suę anno *66*. mortuum, vel anno salutis 1006. natum, sed potius † natum 1007. † Lapsus 14. mortuum vero ætatis suę † anno 65. Cum enim † Lapsus 15. Damianus asserat, se post mortuum Othonem III. (qui mense Januario anni 1002. objerat) *evoluto vix planè quinquennio*, in lucem editum, & consentiat Baronius, Petrum exeunte Februario anni 1072. obiisse, necesse est nativitatem Damiani in annum 1007. incidisse, & 65. annos agentem eundem in Cęlum migrasse.

S. O exactum calculatorem! Si à Januario mense anni 1002. quo obiit Otho III. *vix quinquennium*, à Damiano opusculo 57. assertum, computemus, ad finem anni 1006. calculus perveniat oportet, vel ad summum ad initium Januarii anni 1007. (aliàs si prædictum Januarium anni 1007. prętergrediamur, *ultrà quinquennium*, non *vix quinquenium* computabimus ab Othonis obitu). Natus igitur est Petrus Damiani vel circa finem anni 1006., ut Baronius tradit, vel sub initium Januarii anni 1007. Quarè anno 1072. Mense Januario jam 65. annos compleverat, adeòque sub finem sequentis Februarii sexagesimum sextum ætatis annum jam ferè à bimestri

tri ingressus, è vivis sublatus est: Restituendus ergo Baronii calculus, Laderchianis argutiis confutatis.

R. Completos, atque rotundos annos Laderchius enumerat, neque has minutias admodùm curat. Solida semper sectatur, atque in lucem educere satagit quę ab aliis auctoribus circa Damiani historiam sunt prętermissa. Notasti ne, quàm exactè definierit numerum fratrum S. Doctoris, quem nullus Historicorum hactenùs prodiderat?

† Lapsus 16. S. Nimirum † ubi duos fuisse enunciat, & statim tres enumerat.

R. Immò duos tantùm pro certo statuit, suoque nomine indigitat; Damianum, & Marinum. En Laderchii verba lib.1. sub initium cap.2. pag.9. *Hoc certum nobis innotuit, duos nempè fratres habuisse, Damianum videlicèt, & Marinum, quorum ipsemet meminit lib.2. epist 14. ad Desiderium Abbatem Cassinen.* Ubi verò tertium recenset?

S. Sequenti cap.2. num.3. pag.19. ubi ex Joanne Vitæ PETRI DAMIANI Scriptore narrat, eundem Petrum alterius fratris curæ post mortem Parentum relictum, à quo, & ab ejus uxore tam malè habitus est, ut porcorum cibariis addictus, nudusque, & incultus, ac sub immani frequentium verberum pondere gemens puellus jacuerit. Hic enim verò tam durus, & crudelis in proprium Sanguinem frater neque Damianus ille Archipręsbyter esse potuit, qui Ravennam reversus Petrum ab immani illa servitute exemptum studiis applicare curavit;

nec

nec Marinus ille inter Religiosos Avellanensis Monasterii Conversos Sanctimonia, ac pietate celebris, quem nunquàm uxoratum fuisse constat, eòque minùs tam fero, & atroci in fratrem genio abreptum, sed miti potiùs animo, & *honestis moribus præditum*, ut Joannes idem testatur.

R. Nimis minutè res istas persequeris. Auctor noster ab his se maximè alienum probat in Præfatione ad Lectorem, ubi ait: *Stultas genealogiarum quæstiones devitare conabor; sunt enim juxta Apostolum inutiles, & vanæ; computationes enim generationum Judæi faciebant, & in eo se jactabant &c.* Et infra recentiores criticos suggillare videtur inquiens: *Et sic hoc nostro tempore, plerùmque accidit, ut conspersæ undiquè hujusmodi inutilibus quæstionibus sint Sanctorum historiæ; & veritas, quæ paulispèr aliquando illucescebat, obnubiletur, nec tamen ad veritatis cognitionem quotidiè tali pacto laborantes pervenire posse cognoscantur; nam nostrum ut plurimùm non est nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate, & ad nihilum plerùmque utile est scire quando aliquid factum est, cum sufficiat scire quod factum est, stultò enim labore consumuntur, qui minutissimam rerum, temporum, & gestorum memoriam revocare conantur illorum, de quibus dictum est, quòd periit memoria eorum cum sonitu.*

S. Insulsum caput! De impiis, & peccatoribus hoc scriptum est, neque ad Sanctorum historias referendum, de quibus potiùs ait Propheta, *in memoria æterna erit justus*. Psal. 111. Momenta verò,

 quæ

quæ Pater posuit in sua potestate, ad futurum tempus; non ad præteritum referuntur. Cæterùm ejus doctrina stante, cur tantas Author hic turbas movet, ut capite 1. lib. 1. annum nativitatis, & mortis Petri Damiani statuat, & an senex obierit, nec ne decernat, verbis etiam Damiani suam canitiem testantis ad simplicem prætextum Sancto Viro minus convenientem translatis, ibi pag. 7. & 8. *Verisimiliter censere debemus, hominem, qui omnem movere lapidem consueverat, ut se negotiis abdicaret, contemplationis, &*
† Lapsus 17. *quietis amore † qualemcumque pretextum arripuisse, ne à suo proposito dimoveretur, & talem adhibuisse honestam, & credibilem excusationem, ne denuò sæculi curis implicaretur?* Cur lib. 3. p. 5. de anno scriptæ ad Theuzonem epistolæ adeò disceptavit? Cur adversùs Baronium, Bellarminum, & Bonam Cardinales, adversùs Durandum, Dupinium, & Didacum Franchum, aliosque scriptores tam acriter insurgit de rebus levissimis longas, & importunas vitilitigationes immiscens?

R. Se ipsum de hoc in eadem Præfatione Auctor excusat, ex animo subdens: *Et in hoc forsitan in insipientia mea nimis audeo & ego, dum à peritissimorum virorum sententiis, & supputationibus recedere multotiès præsumo. Sed parcant, rogo, ori meo eruditissimi homines, si, quod Deus purificavit, commune non dicam, si quod ipsi dixerunt, alitèr sentiam, si quod ipsi opinati sunt, alitèr quàm ipsi interpretari convincar. Ecce enim veritatem dilexi, & licèt incerta, & occulta sapientiæ Domini manifestata non sint mihi, tamen per ea,*

quæ

quæ facta sunt [*& illis forsitan innotescere non potuerunt*] *alitèr ea quàm ipsi , intellecta conspexi , & quæ vidi , & audivi , tacere non potui .*

S. Quis ergo decernat, quousquè in supputationibus, & genelaogiis , superfluus, & stultus labor resultet ; quousquè verò sit tolerabilis, & commendandus , vel ab ipso Deo purificationem accipere mereatur .

R. De spiritualibus potiùs , quàm de carnalibus genealogiis videtur Auctor noster fuisse sollicitus ; undè anxius inquirit lib.1. cap.7. *Quodnam Institutum amplexus fuerit PETRUS DAMIANI* : videlicèt, an S. Augustini, an S. Benedicti regulæ nomen dederit . Et cap. sequenti, postquam non fuisse Canonicum Regularem adversùs plurimos Auctores conclusit, idque confessione ipsius Gabrielis Pennotti Canonici Regularis : *nam ex eadem* , inquit, *Augustianorum, & Canonicorum Regularium terra veritas orta est* . Hinc PETRI DAMIANI à Petro de Honestis Portuensi discrimen , exscriptis ejusdem Pennotti verbis, demonstrat ; mox num.4. *Ne Canonicis Regularibus tantùm sit tribulatio , aliis verò remissio* , contra eundem Pennottum, & Jacobillum, qui PETRUM DAMIANI Camaldulensem scripserant, aliosque Camaldulenses scriptores , hunc S. Doctorem sibi vindicantes , fusiùs ostendit, *PETRUM DAMIANUM ex Ordine quidem S. Benedicti Eremitam fuisse* , † *non tamen Camaldulensem , sed Congregationis Fontis Avellanæ* . † Lapsus 18.

S. Quasi verò hæc duo plurimùm distent! An-

 non

non patet, Avellanitas Camaldulensium speciem esse, ut noster Dupinius in Bibliot. sec. XI. animadvertit, certè utrosque non dissimile Institutum sectatos, quod S. Romualdus proposuit Ereminticam vitam restaurans, & ad Benedictinæ regulæ scita componens? Nodum in scyrpo quærit hic Auctor, aut in Camaldulensium nomine contentiosiùs ludit meram logomachiam excitans, ubi de re satis constat; Eremiticam nempè vivendi rationem juxtà D. Romualdi normam iis in locis, quæ Damianus frequentiùs incoluit, viguisse.

R. Non clamoribus, sed rationibus agendum est. Certè ex identitate Regulæ Benedictinæ, quæ omnibus Monachorum Congregationibus communis est, hæc Avellanensis, & Camaldulensis familiæ unitas probari non potest, ut Author noster pag.46. num.7. ostendit; sed neque ex identitate Constitutionum, ut num. sequ. Laderchius evincit: Avellanitæ siquidem proprias Institutiones à PETRO DAMIANI acceperunt, cum nullas à Romualdo Camaldulensibus præscriptas sciamus.

S. Hoc perindè est, ac si Avellanitas, qui PETRUM DAMIANI præcesserant, utpotè sine scriptis legibus viventes, ab Avellanitis, qui scriptas deindè Petri Constitutiones accepere, seiungeret. Successu temporum res subindè variantur, & quæ traditionibus solis aliquandiù contentæ Solitariorum Congregationes vixere, postmodùm suas Constitutiones scriptis tradere sategerunt, easque

pro

pro temporum, & locorum varietate immutarunt. Reponent itaque Camaldulenses, unitatem Instituti duntaxat esse attendendam, ut à pio, eruditoque Viro P. Laurentio Durè quondam intellexi, cum in Eremo Vallis Jesu illum, de hac controversia colloquuturus, aliquando per otium convenissem; qui & addebat, in PETRO DAMIANO sibi vendicando non id prætendere Camaldulenses, ut sacræ Camaldulensis Eremi incola S. Doctor credatur, sed quòd in cœnobiis vixerit [multa verò allegabat] ubi eadem S. Romualdi disciplina vigebat, & si aliis fortè Constitutionibus proposita esset, ut passim in variis ejusdem Ordinis Congregationibus contingit, ejusque rei non spernenda sanè documenta in medium afferebat.

R. Uno ictu omnia fermè præoccupasti, cum præcipuam Laderchius in hac Constitutionum diversitate vim faciat: nec tamen illi sufficit, Damianum in D. Romualdi Cænobiis vixisse, aut eos habuisse discipulos, qui solitudines ab eodem Romualdo institutas incolerent. Audi objectum hoc proponentem, ac reiicientem num. 13. pag. 50. *Dices: Romualdum Eremum Sitriæ fundasse, in qua deinceps fuit Dominicus Loricatus Damiani discipulus; sub Constitutionibus ergo Romualdi, utpotè in Eremo ab hoc fundata; sed negatur consequens ex supra allatis, quòd Romualdus Constitutiones non dedit, sed tacente lingua, & prædicante vita, docuit.*

S. Egre-

S. Egregium Dialecticum, qui *consequens* cum *consequentia* confundit! Sed præclarum ejus ratiocinium attendamus: quia Romualdus Constitutiones non scripsit, ideo Sitriæ Eremus, & Dominicus Loricatus, & PETRUS DAMIANI ejus magister ad Ordinem Romualdi non pertinent. Quæ porrò Eremi, quæ Monasteria, ad illum spectabunt, cum nusquàm institutiones suas scriptis tradiderit? Nulla futura erit ejus religio, nulli ipsius discipuli, nulli Camaldulenses appellandi.

R. Discernendum est inter loca, quæ Romualdi disciplinam receperunt, ut num.14. pag.51. docet hic Auctor, nec enim omnia loca, in quibus Romualdus vixerat, ejus Ordinis fuisse censenda sunt, ut exemplo Classensis Cænobii demonstrat, quod licèt S. Viri habitatione, & regimine fuerit consecratum, anno tantùm 1138. Camaldulensi † Ordini accessisse legitur.

† Lapsus 19.

S. Eremo Camaldulensi tunc copulatum fuisse illustre illud Cænobium fateor; ut alia subindè; [atque in his ipsum Avellanæ Monasterium] similem unionem seriùs etiam subiisse Augustinus Florentinus in suis historiis declarat: Sed id non probat ex uno in alium Ordinem, mutata ejus observantię disciplina, fuisse translatum. A Laderchio fortassis imposuit, quòd Ordinis, & Congregationis discrimen non satis agnoverit, vel attenderit.

R. Non potuit id ignorare, qui pag.85. hujusmet tom.I. Arnoldum Vvion ea de re cæcutientem con-

confutavit † *Corrigendum*, inquit, *videtur illud*, † Lapsus
quod dicit, nempè quòd diversitas Habitus, ejusque 10
coloris, non solùm diversitatem Congregationis, verùm etiam diversitatem Ordinis includit, nam luce clarius patet, Habitus, & coloris diversitatem non innuere Ordinis diversitatem, sed tantùm Congregationis.

S. Verba Arnoldi pag. præced. ab ipso relata hæc fuerant: *Aliud est Monachum esse alicujus Ordinis, quod diversitatem Habitus includit, & aliud Monachum alicujus Congregationis, qui ejusdem quidem Habitus, & Ordinis censentur cum cæteris, differunt tamen Congregatione, sive ratione Patriæ, sive ratione alterius differentiæ*. Ubi patet, Arnoldum non asseruisse, quòd illi Laderchius appingit, nempè quòd *diversitas habitus inferat Ordinis diversitatem*, sed potiùs è converso, quòd, *diversitas Ordinis includit Habitus diversitatem, quam necessariò non includit diversitas Congregationis*. En ut invertuntur à Laderchio Scriptorum verba, ut ex iis cavillandi materiam delibet.

R. A proposito ne digrediamur; ex ipso enim Dominici Loricati facto non aliud deduci contendit Laderchius pag. 52. num. 15. *nisi quòd olim* [Dominicus] *inter Camaldulenses fuerit; nam cum se Petro subdidit, non semper in Eremo Sitriæ vixit*.

S. Sufficit ibi aliquandiù vixisse, ut cum ejus loci Priorem agens, conquestus est apud PETRUM DAMIANUM de improborum hominum vexationibus suæ Eremo illatis, ut constat ex Damiani

Epist.

Epist. 31. lib. 6. ad ipsum Dominicum Sitriæ Priorem scripta.

R. Cur ergò Damianus in S. Romualdi vita
† Lapsus 21 † nunquàm illum apud Avellanam consedisse notat, ut pag. 53. num. 17. noster Author animadvertit?

S. Immò *non longè à Catria mansisse* Romualdum expresse tradit Damianus in ejus vita cap. 19. Est autem Catriæ mons Avellanensi solitudini incumbens, ut ex Dante Laderchius pag. 24. enarrat; undè non aliam, quàm hanc Eremum ibi designari potuisse colligitur. Et certè quisquis Avellanitarum, & discipulorum Romualdi vivendi morem invicem comparaverit, ab uno utroque Magistro Monasticæ normam disciplinæ hausisse concludet. Unde mirari subit, cur Ludovicum Jacobillum asserentem, quòd Romualdus Avellanitis Constitutiones suas tradiderit, Laderchius sequi noluerit, cum ejusdem authoritati usque adeò suprà pag 34. detulerit, ut putidissimam fabulam de B. Lodulpho
† Lapsus 22 † ad Pamphiliæ Gentis Familiam referendo, sibi probari indicaverit iis verbis: *Novissimus, qui loquutus est nobis, Gentilitio stemmati ejusdem Lodulphi hoc tribuit; fuisse enim asserit Columbam portantem ramum Olivæ virentibus foliis in ore suo: At hoc præclarissimæ Pamphiliorum Gentis stemma esse quis ignorat? ergò qui legit, intelligat.* Ubi & aliorum scriptorum commentitiis conjecturis fidem adhibuit, quòd ob indictum à Damiano sextæ feriæ jejunium Avellanensis Eremus S. Andreæ nomine deposito,

no-

nomenclaturam † S. Crucis acceperit, cujus rei † Lapsus
nullum extat in PETRI DAMIANI Operibus vestigium: immò vel antequam Petrus ipse Monachum indueret, ad ipsum *duo Fratres ab Eremo S. Crucis Avellanæ Fontis directi* leguntur apud Joannem ejus vitæ Scriptorem pag. 62. operis hujus Laderchiani, quod indicat vel ex tunc Avellanensem Eremum S. Crucis appellatam fuisse. Sed & minùs propriè Laderchius asserit pag. 208. † feriæ VI. jejunium in honorem Dominicæ Passionis à Damiano *instititum*, quòd alii veriùs dixerint *promulgatum;* vetustissimam quippe in Ecclesia, & maximè apud Monachos, ejus observantiam sacra monumenta declarant, & Regula S. Benedicti cap. XLI. confirmat. Neque ex documentis toto illo capite 31. lib. 1. à Laderchio adductis quicquam aliud conficitur, quàm solius panis, & vini abstinentia, ac verberum disciplina cœpisse Damiani monitis idem sextæ feriæ jejunium arctiùs celebrari.

23. † Lapsus 24.

R. Superest, ut quælibet PETRI DAMIANI Instituta, nimirùm, & † Feriæ secundæ purgantium animarum refrigerio dedicatæ, & † Sabbati in honorem B. Virginis addicti, & † Mariani Officii instituti, & † disciplinæ sibi inferendæ adinventionem Damiano abroges, tot illum laudibus, & honoribus exuens, modonè ulla in re Laderchio consentias.

† Lapsus 25. † Lapsus 26. † Lapsus 27 † Lapsus 28.

S. Ne ipse quidem Damianus invita, ac repugnante veritate, laudari velit. Feriam secundam à se institutam in animarum refrigerium non asserit

S. Doctor, sed ex quadam fabulosa narratione de animabus Dominico die à purgatorio igne vacantibus, mox feria secunda ad eadem tormenta redeuntibus (quam inconsultè Laderchius pag.346. hujus I. tomi † *historiam* vocat, nec nisi ut dubiam S. Doctor proponit lib.I. ep.9. *hoc simpliciter retuli, quod ab accolis loci illius audivi, & paulo post, quod scripsi procaciter non affirmo, sed utrum verum sit, necnè, legentium inquisitioni relinquendum esse decerno*) morem illum apud nonnullos invaluisse describit loco per Laderchium allegato pag.216. *Idcircò ipso potissimùm die Angelis Missarum honor impenditur, ut & mortuis, & morituris patrocinalis eorum defensio procuretur*. Sabbati etiam in B. Virginis honorem deputatio ex quarundam Ecclesiarum consuetudine deducta est, dicente ibidem Damiano opusc.33. cap.3. *Unde pulcher etiam mos in nonnullis Ecclesiis inolevit, ut specialiter ad ejus honorem per omne Sabbatum, Missarum celebrentur officia, nisi fortè festivitas, vel feria quadragesimalis obsistat*. Quam clausulam Laderchius inverso ordine callidè postposuit huic alteri statim consequenti, quam S. Doctor subdiderat: *Nos autem Eremis, sive Monasteriis, quorum videlicèt ad Christi gloriam Ministri sumus, tres per hebdomadas singulas dies Sanctis assignatos habemus &c.* ut fucum Lectoribus faceret, atque illarum Ecclesiarum morem ex Damiani discipulorum consuetudine, non hanc ex illo processisse suaderet. Ridiculus porrò est, cum exemplis pag.222. ex Raynaudo adductis, videlicèt S. Gerar-

† Lapsus 29.

rardi Episcopi Canadiensis, & S. Ildephonsi Episcopi Toletani, quibus ante Damianum Sabbati dies Virginis cultu celebratus legitur, respondet pag. 225. potuisse † Gerardum [qui in Hungaria longè ante annum 1038., quo Rex Stephanus obiit, cum eodem Stephano vivebat) à Damiano, qui circa annum 1040. clarere cæpit, hunc morem accepisse: & † S. Ildephonsum *potuisse celebrare Sabbatum in honorem Beatissimæ Virginis, absque eo quòd hujusmodi celebrationis Author, & Introductor dici possit, vel quòd ab eo talem ritum Ecclesia acceperit.* Quod ipsum in proposito Officii Mariani applicat pag. 245. † S. Joanni Damasceno, qui juxta ipsum *recitare potuit quotidie Horas in honorem Almæ Dei Genitricis, absque eo quòd recitationis ipsarum in Ecclesia Græca Author esset:* idemque de † S. Udalrico Episcopo statuit pag. 247., quasi non sufficeret, alios ante PETRUM DAMIANI huic quotidiano Virginis cultui vacasse, ut primus ipse ejus Institutor non habeatur. Sanè Petrus ipse lib. 6. Epist. 29. narrat, se à Damiano Nepote intellexisse, quòd ille in Galliis constitutus, fama vulgante, cognoverat de Clerico sub mortis articulum lacte B. Virginis irrorato, eo quòd illi *quotidiana per singulas Horas laudum vota persolvisset;* quod indicat consuetudinem Mariani Officii vel in remotissimis partibus ante Damianum viguisse.

† Lapsus 30.

† Lapsus 31.

† Lapsus 32.

† Lapsus 33.

R. Sed non probabis, illud ipsum Officium fuisse, quod à PETRO DAMIANI † postmodùm Ecclesia accepit: idemque de Mariano Officio, † Lapsus 34.

quod Summi Pontifices Zacharias & Gregorius, juxta Petrum Diaconum apud Cardin. Bonam, præter Divinum, recitari à Cassinatibus voluere, dictum esto.

S. At neque illud ipsum PETRI DAMIANI Officium Marianum, quod IV. ejus operum tomo habetur, in usu jam est apud ullos Ecclesiasticos cætus. Alii hymni, aliæ lectiones, aliæ antiphonæ jam leguntur.

R. De Disciplinarum autem institutione quid sentis?

S. Penè exciderat. Idem sentio, quod Damianus, non quod Laderchius. In Capitulo à Priore scopas accipiebant Monachi sub S. Romualdo ex ejus vita cap.38. Disciplinas ejus Monachi apud Sitriam, ipsique Monachorum famuli inter se invicem faciebant cap.64. De verberibus autem sibimet inferendis, evidens res est, Damianum ipsum hanc consuetudinem ad Dominicum Loricatum referre, de quo ait opusc.50 cap.14. *Hujus itaque Sancti Senis exemplo facienda disciplinæ mos adeò in illis partibus inolevit, ut non modò viri, sed & nobiles mulieres hoc purgatorii genus inhianter arriperent.*

R. Dissimulas quid huic observationi noster Author respondeat pag.157. *quod subdit, hujus nempè S. Senis exemplo, facienda disciplinę morem inolevisse, ita accipiendum est,* † *ut credatur humilitatis studio, potiùs discipulo, quàm sibi hoc tribuisse, ne laudando se ipsum videretur insipiens.*

† Lapsus 135.

S. Men-

S. Mendacem Damianum facere non veretur Laderchius, vano timore ne insipiens esset, si veritatem proderet. At ne dum Damianus Dominici exemplo disciplinæ usum invaluisse testatur, eodemque Dominico Doctore se didicisse fatetur lib.1.epist.19. modum, quo centum annorum pænitentia hoc afflictionis genere possit expleri; verùm etiam contendit, ante Dominici tempora disciplinæ hujus consuetudinem obtinuisse, lib.6. epist.27. Cerebroso Monacho scribens. *Hoc disciplinæ genus modernis non est studiis adinventum, sed ex S. Scriptura potiùs authoritate prolatum*. Et infra: *Nam & ante nos omnibus ferè Sanctis Monasteriis hac disciplinæ regula nequaquàm fuit incognita, licèt non adeò frequentata, unde & singulos annos pęnitentię millenis scopis redimere consueverunt*.

R. Hoc Laderchius pag. 196. *ad disciplinam pęnitentialem Canonicam, vel Regularem pertinere* asserit, *non ad voluntariam factam à nihil debentibus Canoni, & Pęnitentiali Pręsbytero*.

S. Vocet, ut libuerit; tantundem est: nec minùs pungere ostendet verbera Pęnitentiarii, vel Canonum jussu, quàm propriæ devotionis arbitrio inflicta. Præterquamquòd Damianus in Epistola ad Cerebrosum ejus disciplinæ Apologiam agit, cujus usum propagare ipse studebat; ergo extra propositum ejus vetustatem commendasset, si alterius prorsus generis disciplina illa Pęnitentialis, & Canonica fuisset.

R. Totus nobis in his tricis effluet dies, si pergas

gas adeò in ſingulis immorari.

S. Compendio dicam. Quidquid veri ad hanc hiſtoriam pertinens in his libris occurrit, totum ex aliis Scriptoribus Laderchius corraſit, & de verbo ad verbum reſcripſit: quidquid novi ejus induſtria hìc additum legimus, totum eſt fermè commentitium. Multa etiam quæ aliundè accepit, falſa ſunt, & ſine judicio ab hoc Authore probata. Plura interim ſibi invicem adverſantia adjecta fuiſſe ne dubites.

R. Calumniæ reum ago, niſi ſingula oſtenderis.

S. Ad evidentiam probaſſe putaveram; ejus enim ſatis aperta commenta, vel ex proprio cerebro, vel ex aliis ſcriptoribus hauſta hactenùs indicavi; ſed vis ſibi contradicentem Laderchium aliquo ſpecimine cognoſcere? Lege ad pag. 466. tomi 2. *Petrus verò ab urbanitate quaſi abhorruiſſe apparet*: & paulò poſt pag. 469. *Fuit igitur* † *Petrus Curialiſſimus, & urbanitatem noverat, ſciens quòd abhorret Dominus à Sanctis incivilibus*. Rurſus ad pag. 294. tom. 1. *Stephanus IX. dictus* X. ad paginam verò 306. Stephanus † X. dictus IX.

† Lapſus 36.

† Lapſus 37.

R. Da veniam importunitati. Pagina illa 294. in nonnullis exemplaribus felici calamo correctum pariter legi *Stephanus X. dictus IX.*, ut cum altera expreſſione paginæ 306. conveniret.

S. Erronea correctio; verè enim Stephanus ille ejus nominis nonus fuit, ſeque talem in ſuis diplomatibus appellavit, ut conſtat ex Antonio Pagio in Critic. ad Annal. Baronii anno 1057. num. 2. Vide

jam

jam latissimam aliam contradictionem, ubi pag.64. num.1. tom.1. probat cum Augustino Florentino, † Damianum ad cœnobium S. Mariæ in littore Adriani Maris divertisse, ut conversionis suæ periculum faceret, quod supra pag.24. cum Rubeo, & Cajetano negaverat, id Petro Portuensi duntaxàt convenire asseverans. Lege insuper ad pag.508. ejusdem 1. tom. quòd *expeditio Gallicana Petri absque dubio evenerit* † *anno* 1062. tum ad pag.532., atque alibi, vide afferentem, quòd Florentina Petri Legatio eodem anno 1062. contigerit, quod pag.534. probat ex morte Rodulphi Episcopi, cujus vitam supponit à Petro ad Alexandrum scriptam in Florentinæ Urbis ingressu, accepto de ejus migratione nuncio. Porrò hæc duo simul consistere non possunt; cum enim Rodulphi obitus die 26. Junii contigerit, oportet, ut circa principium Mensis Julii ea de re Petrus monitus fuerit, qui totum etiam illum Mensem in Florentinæ Legationis negotio ad minus insumere debuit; atqui his ipsis mensibus occupatum fuisse in Gallicana expeditione, quo anno illam obivìt, patet ex Damiani Epist.5. lib.6. penès Laderchium relata ad pag. 549. ubi S. Doctor conquæritur, sibi promissum fuisse ab Hugone Cluniacensi, quòd Kal. Augusti reversurus esset in Italiam. Itaque non eodem anno statuenda fuerat à Laderchio Florentina, & Gallicana Petri Legatio.

† Lapsus 38

† Lapsus 39.

R. Non semper tamen sibi contradixisse Laderchium putes. Video ego pag.66. 1. tom. satis me-

memorem, ac tenacem calculi sui de ortu PETRI DAMIANI, constanter asserere non annò ætatis
† Lapsus 40 illius † 24. sub † Gvidone Aretino Priore (ut
† Lapsus 41 Jacobillus statuerat) sed tantùm anno 23. Sanctum Doctorem Monachum factum, quandoquidèm ejus conversio in annum 1030. incidit, nativitas verò, juxtà nostri Authoris sententiam, anno 1007. præcesserat.

S. Jam Laderchianam computandi rationem paulò antea confutavimus, neque video cur Jacobilli testimonium de Guidone illo Priore Avellanensi reiiciat noster Historicus, alium ipse non substituens, qui tum eo munere fungeretur. Sed & illud hoc loco notandum, quàm egregio argumento probet, † non potuisse Damianum majorem
† Lapsus 42 ætate 23. annorum Monasticen amplecti, ex quo cæperit, juxta Baronium ab anno 1044. Ecclesiasticis se immiscere negotiis; quia credibile non sit in tam arcta Avellanensium disciplina id potuisse præstare, *cum ob vix arreptum perfectionis iter, æterni Sponsi Soror Anima Petri adhuc parva esset, & ubera non haberet; unde potiùs cogitandum erat, quid de illa faciendum in die, quando erat alloquenda*; quasiverò ad id non sufficeret, vel saltem quadriennio ante, nempè anno 1040. Monasticæ disciplinæ se subdidisse Damianum.

R. Accuratior fortasse in factis ad publicam Ecclesiæ Historiam pertinentibus est noster Historicus, quàm in peculiaribus vitæ PETRI DAMIANI circunstantiis determinandis.

S. Ubi-

S. Ubique claudicat, & passim labitur. Sed immensi laboris negocium est velle singula excutere. Summa rerum capita delibare sufficiat. Pag.98. tom.1. docet Joannem † XX. Romanum Pontificem anno 1033. mense † Novembris obiisse. Neque ille nominis hujus *vicesimus* erat, sed *decimus nonus*, ut omnes probi scriptores consentiunt, atque ex ejus Diplomatibus liquet, quæ ex Ughello refert Pagius ad ann.1024. num.1. Neque ille Mense *Novembris*, sed Octobris ad summum, ex humanis ereptus est, cum ante Octobris Mensem anno 1024. Pontificatum susceperit, sederit verò annis 9., & dies 9., ut laudatus Pagius anno 1033.num.4. ex plerisque Catalogis demonstrat. Rursus pag. 103. Gregorium VI. à † Simoniæ labe purgare nititur Laderchius cum Baronio authoritate Damiani, officiosissimas quasdam epistolas ad illum scribentis; ubi animadvertere debuerat, eundem Damianum post illas literas scriptas, inter illegitimos Pontifices computasse Gregorium; nam Epistola 3. lib.1. ad ejus successorem Clementem II. data, agens de Fanensi Episcopo, qui à Benedicto IX., Sylvestro III., & Gregorio VI. excommunicationis vinculo fuerat innodatus, sic ait: *Sed cum videamus Fanensem latronem ab his etiam, qui non erant, sed dicebantur Apostolici, maledictum, & excommunicatum*. Idemque Clemens II. eodem loco tres illos Pontifices habuit; nam statim à sua coronatione in Brevi Bambergam misso, quod Gretzerus in libro de Divis Bambergensibus edidit Ingolstadii anno 1611. sic scripsit; *explosis tribus il-*

† Lapsus 43.
† Lapsus 44.
† Lapsus 45.

lis, quibus idem nomen Papatus rapina dederat, inter tot agmina Sanctorum, qui aderant, Patrum, dignatio Cœlestis gratiæ nostram indignissimam mediocritatem, cunctis nisibus refragantem, voluit eligi, & altissimi Apostolorum Principis vice fungi. Ut omittam tot alia monumenta, quæ ad hanc veritatem illustrandam latè congerit Pagius anno 1044. à num.5. ad 13., nec non testimonium Victoris III., qui in suis dialogis narrat, quomodo ipsemet Gregorius VI. in Sutrina Synodo *agnoscens, se non posse justè honorem tanti Sacerdotii administrare, ex Pontificia Sella exsiliens, ac semetipsum Pontificalia indumenta exuens, postulata venia, summi Sacerdotii dignitatem deposuit*. Ad hæc Laderchius pag.100. n.4. ejusdem primi tomi narrat, Conradum Imperatorem apud Trajectum Frisiæ anno 1039. † tertia
† Lapsus 40. die Pentecostes è vivis sublatum; cum ex Uvippone in vita Conradi Salici constet, illum feria 2., non tertia obiisse apud sæpe laudatum Pagium anno 1039. num.1. Rursus pag.126. contendit Laderchius, Leonem IX. simulac consecrationem Pontificiam Romæ accepit, † nihil ibi moratum, ad visitandam
† Lapsus 47. S. Michaelis Gargani Ecclesiam, Sipontum se contulisse, verùm anno sequenti dumtaxàt hanc peregrinationem à Leone susceptam ex Chronico S. Benigni demonstrat Pagius ad annum 1049.
† Lapsus 48. num.8. Item pag.141. Laderchius asserit, † duo tantùm Concilia à Leone anno 1049. celebrata, Rhemense videlicèt, ac Moguntinum, sed præter hæc, constat aliis duobus, Romano, & Papiensi Leo-

Leonem præfuiſſe, ut ex Hermanno Contracto, & Vviberto Pontificis hujus vitæ ſcriptore, idem Pagius ad hunc annum num.10., & 11. obſervat.

R. Tanta rerum mole, Sejane, opprimor. Reſpirare ſaltem concede, non quòd ad ſingula reſpondere nunc in animo habeam: longioris id operæ, ac diligentioris meditationis foret; Sed pleroſque Scrupulos tuos cognoſcere, & particulatim diſcernere, non ſimul deglutire, ac devorare voluiſſem. Arbitror autem, vix alios ſupereſſe notatu dignos.

S. Nondùm ad operis dimidium provecti ſumus: Plura etiam tranſiliendo negligere temporis anguſtia coegit. In pag.318. lib.2. ſtatim à *creatione*, *PETRUS DAMIANI ſcribit ad S.R.E. Cardinales, & de* † *abdicanda Cardinalitia Dignitate cogitat*. † Lapſus 49.
Nec verbum quidem occurrit in toto illo capite, vel in Epiſtola Damiani, quam ibi Laderchius reſcribit, quod vel umbram intentæ renunciationis præſeferat. Cardinales velut Cardinalis alloquitur S. Doctor ibi num 16. *Nos itaque, Fratres mei* [*ut & me vobis audenter interſeram*] *nos, inquam, qui tanquam ſeptem ſumus oculi ſuper lapidem unum, qui ſtellarum portamus imaginem, qui Angelorum tenemus per annunciationis officium dignitatem, videamus, & ſplendeamus, & verba vitæ populis, non ſolum vocibus, ſed & moribus nunciemus*. Et infra n.20. *Quod igitur Dilectiſſimi, non modo Sacerdotes, ſed Sacerdotum nos decet eſſe Magiſtros* &c. Et in fine

Sic sic videlicet Cum Petro claves Ecclesiæ meritò facti participes obtinebimus, dum nosmetipsos certam vivendi formam, atque signaculum cæteris fidelibus exhibemus. Similiter pag 350. in titulo cap 5. lib.2. asserit Laderchius *à Nicolao II.* † *concessum fuisse PETRO DAMIANI regressum in Eremum*; nec quidpiam toto illo capite allegat, ex quo id deducatur: immò post relatam Damiani ad Nicolaum Epistolam, qua nuncium Episcopatui remittere contendebat, subdit Laderchius num.3. Damianum voti compotem factum non esse his verbis: *Hæc Petrus, cui nihilominus onus grave, quod gravatum erat super se, deponere non est permissum.* Quod autem pag.414. adducit noster Historiagraphus, Damianum in privilegio, quod Nicolaus II. Monasterio S. Felicitatis Florentiæ concessit, *seorsim à Cardinalibus, se tali pacto subscripsisse [Ego Petrus Peccator Monachus]* † *absque titulo Cardinalatus, & Episcopatus Ostiensis*, id non probat dimissam ab illo dignitatem; nusquam enim alio titulo Damianus usus reperitur, nec se unquam Episcopum, aut Cardinalem antea subscripserat. Pagina 335. Hildebrandum ex Germania redeuntem S.R.E. † *Archidiaconum* vocat, cum tunc, & usque ad Augustum anni 1059. *Subdiaconus* tantùm fuisse probetur ex ejus subscriptione ad Acta Concilii Beneventani, apud Labbæum tom.IX. Conciliorum, & ex Pagio ad annum prædictum num.11. & 13. ipsumque Hildebrandum nonnisi *Subdiaconum* vocet PETRUS DAMIANI Epistola per La-

† Lapsus 50

† Lapsus 51.

† Lapsus 52.

derchium relata pag.336. licet sibi hoc arrogaverit Laderchius pag.338. sub. num.9. ut textum Damiani corrumperet, atque arbitrariè loco vocis *Subdiaconus* (ob summam ejusmodi rerum ignorantiam) reposuerit *Archidiaconus*. Vicissim verò pag.355. Laderchius vocat Berengarium Ecclesiæ Andegavensis † Diaconum, cum immò ejus *Archidiaconus* esset. † Lapsus 53

R. Nimis rigidus censor es, atque in omni verbulo cavillandi materiam quæris: qui Archidiaconus erat, poterat & Diaconus appellari, qualem se vocat ipse Berengarius in formula suæ Confessionis.

S. Accuratus ipse videri vult Laderchius, aliosque scriptores suis maledictis proscindit, si unius vocis permutatione, aut ipsi, aut eorum Impressores, erraverint: quemadmodum tom. III. pag. 324. tot turbas in Dupinium excitat, quòd asseruerit, Damiani Epistolam 13. lib.4. scriptam Episcopo Cæsenati, cum scripta sit Sarsinati, ubi insulsè exclamat Historiographus noster: *nec agnoscit quod Cæsena non est Sarsina, nec Sarsina Cæsena*. Æquum igitur est simili lance, & Laderchii scripta expendantur ab ejus censoribus.

R. Non ea dumtaxat de causa Dupinium exagitat Laderchius; sed ex quo insuper docuerit, PETRUM DAMIANUM *à suis* † *parentibus sollicita cura educatum:* quod fabulosum esse noster Historiographus ostendit. Item quod Epist.3. lib.4. ad Henricum Archiepiscopum Ravennatem *de Cada-* † Lapsus 54

da-

daloo, *&* *Alexandro differere* putaverit: ubi tantum de intrusione Mincii sermo occurrit. Denique
† Lapsus 55 quia † tractatum de correptione Papæ, & Episcopi ad Epist. 12. lib. 1. pertinere affirmaverit, quem tamen Laderchius ab Hæreticis Sancto Doctori suppositum ostenderat pag. 304. n. 14.

S. Primam criminationem quod attinet, manifestè ostendit Laderchius, se tam Gallicæ, quàm Latinæ linguæ prorsus ignarum. Dixerat de Damiano Dupinius in Biblioth. seculi XI. pag. 84. *Il ètoit d'un bonnete famille, & ses parens prirent soin de lui donner une bonne education*. Nomen illud *parens* pro parentibus patre, & matre accepit Laderchius, ubi potius consanguineos interpretari debuerat juxta legitimum, vulgatumque vocis hujus usum, tum à nostris popularibus, tum ab ipsismet Italis ubique receptum: quomodo patet, Dupinium ad optimam educationem, quam PETRUS à DAMIANO fratre acceperat, respexisse. E' contrario *parentum* appellationem ad alios præter *patrem*, & *matrem*, Latina lingua extendi non
† Lapsus 56 patitur; Laderchius tamen ipse vocem † *parentes* pro *consanguineis* usurpavit in titulo cap. 2. lib. 1. qui est: *PETRI DAMIANI parentes*; cum in toto capite patris, & matris notitiam nullam haberi significans, circa *fratres* PETRI DAMIANI distinguendos (& quidem, ut vidimus, perperam distinguendos) *nepotem* insuper, *fratruelem*, *& sorores*, tantummodò occupetur. Secunda criminatio non tam Dupinium tangit, quàm Constantinum Caje-

ta-

tanum, qui in argumento illi epistolæ præfixo primus omnium huic errori ansam dedit; suo autem munere functus est Dupinius, ubi argumentum retulit, quale in ipsis Damiani operibus proponebatur. Postremæ tandem querelæ quid reponemus? Facti res est. Quisquis tractatum illum cum epist. 12. lib. 1. contulerit, Dupinii judicium absolvet, qua in re etsi peccasset hic Auctor, Damiani Opera hoc tractatu adaugens, majoris tamen culpæ reus esset Laderchius eadem imminuens, dum tom. II. pag. 113. Apologeticum PETRI DAMIANI contra Canonicos, velut † apocryphum, & falsum traducit, dissimulans, illud à Constantino Cajetano satis vindicatum fuisse, atque ex veterum mss. fide, & authoritate, necnon ex ipso stylo (qualemcunque ejus diversitatem eximia Laderchii critica somniaverit) eidem PETRO DAMIANI à doctis quibus libet, nulloque partium studio præoccupatis scriptoribus adjudicatum.

† Lapsus 57.

R. Tandem aliquandò, ut video, primi tomi errores recensere desiisti, non tanta tibi in cæteris mordendi materies affluet.

S. Digredi libuit, quandoquidem aliò me avocasti: Sed nondum omnia prioris tomi errata delibavi. Iterum restitue. Vide ad paginam 336. *Gerardus, qui Nicolaus II. vocatus est, ad Urbem, † non cum potentia, sed tanquam Bonus, & Humilis Pastor, accedere voluit.* Verum ex Lamberto, & Leone Ostiensi patet, Henricum Germaniæ Regem jussisse, ut Gothefridus Etruriæ Dux cum suis copiis

† Lapsus 58.

apud

apud Romanum populum tumultus circa electum Pontificem excitaretur. Paginis 436., & 500. atque alibi Laderchius asserit, † *die* 28. *Octobris Festo SS. Simonis, & Judæ solemni, depositum Cadalorum*; cum ex verbis Damiani, quæ pag. 501. rescribit, pateat, hanc depositionem in dictorum Apostolorum pervigiliis factam esse, ut necessarium erat ad ejusdem Damiani vaticinium implendum, qui de Cadaloo dixerat: *Non ego te fallo, cœpto, morieris in anno:* quod, stante Laderchii hypothesi, falsum foret; non enim *cœpto*, sed *completo*, jam anno, Cadalous (qui ipsa die SS. Apostolorum fuerat inauguratus) usurpatæ dignitatis honori mortuus esset, quarè ineptè vaticinii sui veritatem tueri conatus esset Damianus opusc. 18. cap. 8, cujus verba accuratiùs Laderchio legenda fuerant, nimirùm: *Sed, ut me comprobem non fuisse mentitum, tudiana admirabilem Divinæ dispositionis eventum. Cadalous siquidem ipso Festivitatis die SS. Apostolorum Simonis, & Judæ, quasi in Papam, Deo reprobante, ac repellente, fuit electus; eodemque vertente anno in prædictorum Apostolorum vigiliis ab omnibus Theutonicis, & Italicis Episcopis, ac Metropolitanis, qui cum Rege tunc aderant, damnatus est, & depositus.* Pag: 504. asserit contra Baronium, quòd PETRUS DAMIANI † Romæ interfuerit electioni Alexandri II., eoquòd in Epist. ad eundem Alexandrum de vita SS. Rodulphi Episcopi, & Dominici Loricati S. Doctor indicet, se Romæ fuisse, quo tempore præfati Dominici obitus in Umbria contigit

† Lapsus 59.

† Lapsus 60.

git; at ex Epist. ad Theuzonem, in qua Dominicum Loricatum viventem supponit, dum anno 1062 ad controversiam Simoniaci Episcopi sedandam Petrus Florentiam venerat, satis colligitur, eundem Dominicum anno 1061., adeoque tempore electionis Alexandri II. nequaquam ex humanis ereptum, atque epistolam illam de Rodulphi, & Dominici gestis, ut alias innui, Florentiæ tempore Legationis Petri non esse conscriptam. Pag.508. apertissimè sibi contradicit, dum ad num 14. ait: *ante annum 1063. quo Romæ Concilium actum est ad dirimendam causam Petri Episcopi Florentini, aliam Synodum Romæ convocatam fuisse haud liquet*; ac statim subdit. *dicendum igitur, cum expeditio Gallicana Petri absque dubio evenerit* † *anno 1062., quòd Synodus illa Romana, quam adiit Hugo, ea fuerit, in qua* † *eodem anno Alexander, tempore Quadragesimali*, † *anathemate Cadaloum percussit*. Si enim ante annum 1063. nullam Romæ Synodum esse convocatam liquet, quomodò anno 1062. in Synodo Romana Alexander anathemate Cadaloum percussit? Ad hæc, falsum est, Legationem Gallicam Petri in annum 1062. incidisse; nam acta Cabillonensis Concilii, quod, præsidente in Galliis Petro, celebratum legitur tom.9. Conciliorum, illud anno 1063. congregatum ostendunt. Vide Pagium ad annum 1062. num.4. Pro nunc dissimulo, quòd nuspiam in Romano Concilio Cadalous ab Alexandro II. anathemate percussus legitur. Rursus pag.452. in titulo capitis 19. lib.2. asserit Lader-

† Lapsus 61.

† Lapsus 62.

† Lapsus 63.

† Lapsus 64. chius, Damianum ad Osboriense Concilium † misisse librum, qui inscribitur *Disceptatio Synodalis*; verùm hoc arbitrariè confictum est: nec Damianus, nec alius quispiam prodidit disceptationem illam ad Concilium missam, vel in illo lectam, aut eo fine, ut dicto Concilio inserviret, compositam: tantùm innuit S. Doctor, Concilium illud imminens esse, ejusque specimen quoddam, exercitii videlicet gratia, à se in illo tractatu exhiberi: en illius verba apud Laderchium pag. 454. *Quoniam & in proximo, ut speramus, fiet hic Osboriense Concilium, hinc jam ejusdem Concilii constituamus, velut in quadam tabella pictura, præludium*. At progrediamur ad pag. 565. ubi his verbis caput 28. lib. 2. Laderchius exorditur: *Petrus autem, cum* † *à Pontificis obedientiæ vinculo solutus, sui juris affectus esset, &c* Quæ expressio Apostasiæ reum S. Doctorem facit; neque enim in Eremo vivens dici poterat ab obedientiæ vinculo erga Supremum Pastorem Romanum Pontificem solutus, & sui juris effectus. † Lapsus 65.

R. Nisi primum hunc tomum tibi è manibus excusserim, nunquàm ab ejus censura cessabis.

S. Secundum itaque resumo, cujus pag. 8. narrat Laderchius, Damianum paulò ante Quadragesimam Cassinum migrasse, eò vocatum à Desiderio Abbate, ut Fratres, ob casum fulminis, quem ex Leone Ostiensi supra recitaverat, nimio terrore perculsos, confirmaret, ibidemque integram Quadragesimam exegisse, *tum* † *Romam repedasse ad Concilium* † Lapsus 66.

lium pro causa Petri Episcopi Florentini cogendum ab Alexandro jam anno 1063. *è Lucensi Civitate reverso*; atqui casus ille fulminis, ex verbis Leonis Ostiensis pag. 2. hujus tomi relatis, contigerat XV. Kal. Februar. *quinto fere anno* post ordinationem Desiderii Abbatis, quare cum Desiderium Abbatem, & Cardinalem, ordinasset Nicolaus II. pridie nonas Martii 1059. consequens est, ut fulminis ictu territi fuerint Cassinenses anno 1064., non 1063. Unde Petrus Damiani Quadragesimam anni 1064. post celebratum præcedenti anno Romanum Concilium, in causa Episcopi Florentini, apud Cassinum transegit. Ad pag. 30. notat Laderchius, ob turbas contra Simoniacum Episcopum Florentiæ excitatas, atque in suspicionem adductam Sacramentorum, quæ Simoniaci Sacerdotes conficerent, aut ministrarent, validitatem, quod *multi his næniis nugisque decepti, sine* † *Sacramentis Dominici Corporis, & Sanguinis ex hoc mundo recesserant*, quasi Eucharistiæ Sacramentum in plura divideretur: quomodò plusquàm septem forent Ecclesiæ Sacramenta contra Conciliorum definitionem, & doctrinam Cathechismi sub Pio V. emanati, ubi habetur: *Licèt duo sint elementa, panis scilicet, & vini, ex quibus integrum Eucharistiæ Sacramentum significetur, non tamen plura esse sacramenta, sed unum tantum, Ecclesiastica authoritate, confitemur*.

† Lipsus 67.

R. Nollem quidem oppositiones tuas interrumpere, quibus omnibus simul promeridiano colloquio respondere statueram; at non possum, quin hic

pro Laderchio reponam, ab omni illum censura in hoc proposito immunem habendum, qui Ecclesiæ loquutionem servavit; nam in Missarum Collectis frequenter occurrit *Purificent nos, quæsumus Domine, Sacramenta, quæ sumpsimus.*

S. Etsi, habito ad utramque speciem respectu, duas ejusdem Sacramenti integrales partes in Sacrificio libatas possit Sacerdos aliquo modo *Sacramenta* appellare, quomodò id morituris, (de quibus Laderchius loquitur) applicari poterit, quando his sub unica specie sacrum Viaticum ministrari consuevit? Ad hæc, cur verba PETRI DAMIANI ab eodem Laderchio allegata pag. 22., ubi expresśè habebatur *sine Sacramento Dominici Corporis, & Sanguinis* ausus est immutare?

R. Non Theologum agit hoc loco Laderchius, sed Historicum.

S. Video, nam & lib. 4. cap. 22 num. 1. ad finem pag. 501. hujus tomi docet *nos sperare in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abundè* † *ad fruendum*; cum tamen solo Deo nobis fruendum esse, cæteris verò terrenis rebus dumtaxat utendum sanioris Theologiæ canones jubeant.

† Lapsus 68.

R. Nihil ad Historicum ista. Perge Laderchii lapsus historicos, si qui rursus tibi occurrant, breviter adnotare.

S. Toto illo tertio capite lib. 3. nihil non molitur Laderchius, ut, reluctante omni Historiæ veritate, ostendat, Damianum *non egisse contra Monachos* † *Vallumbrosanos, sed alterius instituti*: & hoc quia

† Lapsus 69.

quia S. Joannes Gvalbertus remotionem suam miraculo tutatus est, ne ante Stephanum Pontificem (quem pagina 32. Laderchius inscitè † *decimum* appellat, cum nonus ejus nominis esset) deferretur, undè in ipsum, ejusque discipulos non quadrant Damiani dicteria: *Urbici Monachi, Forenses, solitarii, Monachi Universales, qui sub Monasticæ professionis nomine plebibus imperarent*; quasi verò non posset S. Doctor hoc nomine indigitare Theuzonem Eremitam, qui Florentiæ reclusus vivebat, & Monachos Vallumbrosanos ad illum consilii gratia ab Joanne Gvalberto submissos, aliosque ad S. Salvii Cænobium propè Florentiam commorantes. Præterquamquòd remotio Joannis Gvalberti, tempore Stephani Papæ, non prohibet aut ipsum, aut ejus discipulos falso in Episcopum zelo deceptos, tempore Alexandri II. potuisse Florentiam circuire ad turbas illas excitandas. Nec validius argumentum promovet Laderchius pagina 34., ex quo Vallumbrosanis † convenire non posset quod de prædictis Monachis ait S. Doctor: *Vident Monachum incedentem, aspice, inquiunt, unum scapulare*; etenim etiam ipsi Vallumbrosani scapulare gestabant, quare *de Monachis alterius Instituti non scapulare gerentibus*, ibi sermonem esse concludit. Quasi ulli eo sæculo Monachi viverent, qui commune Monachorum vestimentum, scapulare scilicèt, non induerent. Rursus pag. 51. Decretum Chalcedonensis Concilii in Romana Synodo ab Alexandro II., suasione PETRI DAMIANI, contra ejusmodi Monachos renovatum

† Lapsus 70.

† Lapsus 71.

tum

tum, videlicet: *Monachis, quamvis Religiosis, ad normam S. Benedicti intra claustra morari præcipimus, vicos, castella, Civitates peragrare probibemus* (apud Laderchium pag. 59.) contra † Vallumbrosanos Monachos editum non fuisse probat, sed contra Monachos alterius Instituti, quia post hujusmodi decretum patet, Vallumbrosanos Florentiam reversos more solito adhuc Episcopum impugnasse miraculum Petri Ignei tunc contigisse: quòd si decreto illo comprehensi forent, *ex Papæ præcepto Monasterio egredi non potuissent: cum itaque Gvalberti discipulos statim fecisse constet oppositum, ideo in istos loquutum non fuisse PETRUM DAMIANUM, nec ejus intuitu præfata decrevisse Alexandrum deducitur*. At decretum universale est, non Vallumbrosanos excipit, sed comprehendit, cum & ipsi *ad normam S. Benedicti* regularem disciplinam profiterentur. Sed pag. 59. admittit expressè Laderchius, quòd Monachi, qui Romæ, præsente PETRO DAMIANO, contra Florentinum Episcopum in Synodo debacchabantur, *hujus rei confirmandæ causa, se paratos ad subeundos ignes exhibuerunt*, quod cum S. Joannis Gvalberti discipuli præstiterint, frustrà contendit Laderchius culpam omnem harum turbarum in Mochos alterius Instituti omnibus incogniti transferre, atque à promulgato decreto Vallumbrosanos eidem Synodo præsentes eximere. Nihil attingo præclaram S. Joannis Gvalberti Chronologiam pag. 52. positam, ubi illum anno † 1003. conversum statuit, & post quatuor annos Abbatem, & Episcopum

† Lapsus 72.

† Lapsus 73.

pum Simoniacos, Theuzonis consilio proclamasse, quandò tantùm circa annum 1030, vel 1040. clarere cæpisse Joannem Gvalbertum ejus acta demonstrant. Nihil de arbitraria † Attonis primi Episcopi Florentini interpositione, quam in margine pag. 53. Laderchius ponit loco Anonimi ab Ughello indicati. Jam quæ de Theuzone subdit, aliàs excussa sunt; quare ad cap. 9. lib. 3. gradum facio. Hoc loco quæ contra Canonicos a PETRO DAMIANI scripta fuisse recenset, illustranda fuerant † confutatione viri eruditi Nicolai Desnosii, qui libro 2. de Canonicis cap 14. ait, ignorasse PETRUM DAMIANI regulam, qua se Canonici tuebantur, ipsummet Aquisgranensis Concilii, Ludovico Pio imperante, habiti textum esse. Pariter Laderchii partes fuerant, ut difficilem Damiani clausulam, quæ ex ejus opusculo 34. ab Hæreticis recentioribus, pro superstite in Sacramento panis substantia, ad erroris sui defensionem traducitur, & ab Authore nostro pag. 212. refertur, catholica expositione † interpretaretur; nimirùm ubi de Hostiæ sacræ particula usque ad medietatem in carnem conversa, sic habet S. Doctor: *Dum in una, eademque substantia, hinc panis, illinc carnis, adesse consideras speciem, in utroque vera carnis, verique panis indifferenter intelligas veritatem.*

† Lapsus 74.

† Lapsus 75.

† Lapsus 76.

R. Etiam peccata omissionis in Laderchio redarguis. Hoc verò minimè necessarium, cum mysticè panem hoc loco intelligendum, sequentia S. Doctoris verba declarent: *quia & ipse est panis, qui*

de

de Cælo descendit , & ipsa nihilominus caro , quæ de Virginalis uteri materia prodiit. Porrò non magis ex adiuncto *veri panis* cavillari quis potest propriam panis substantiam à Damiano indicari , quam cum Christus Joan. 15. ait. Ego sum vitis vera , hoc ad eam vitem referendum sit , unde hæc similitudo translata est , non proprietas . At deficientibus propriis Laderchii erroribus ad omissa notanda, supplementi loco , recurris .

S. An deficiat in Laderchii operibus errorum historicorum seges , mox videbis . Pag. 115. hujusmet II. tomi † repetit Legationem Gallicam PETRI DAMIANI anno 1062. contigisse , quam sequenti anno dumtaxat illi injunctam superiùs ostendi ; ejusdemque † occasione Nicolaitarum Hæresim in Laudensi , ac Taurinensi Ecclesia S. Doctoris opera , detectam putat , contra quam Romanæ Synodi decretum promulgandum Damianus obtinuerit . Verùm illam detexerat Vir S. in Mediolanensi Legatione sub Nicolao II. non in Gallica expeditione ; quandoquidem hæc post prædicti Romani Concilii decretum Hugonis Abbatis Cluniacensis rogatu , Petro commissa fuit . Vide Synodalem definitionem inter Hugonem Abbatem Cluniacensem , & Drogonem Episcopum Matisconensem , quæ habetur tom. 9. Conciliorum pag 1177. *Anno 1063. Hugo Romanam Synodum impiger adiit , querelam suam coram Sancto Concilio fidelis relator exposuit , novo periculo Sancti loci ruinam procul dubio minitanti ut obviaret , oravit . PETRUS DAMIANUS*

† Lapsus 77.

† Lapsus 78.

NUS Ostiensis Episcopus se protinus obtulit, seseque ad subveniendum Monasterio per tam longi, tam asperi, tam duri itineris pericula destinavit. Unde quod pag. 117. subdit Laderchius, † *evidenter probari, statim post reditum à Gallica Legatione scriptas à Damiano fuisse epistolas ad Cunibertum Episcopum Taurinensem, & ad Adelaidem Subalpinorum Comitissam,* eo quod in illis referat abusum in Laudensi, & Taurinensi Ecclesia deprehensum (nondùm utique in Romana Synodo condemnatum, nam hoc decretum allegare non omisisset Damianus, ad auctoritatem Concilii Triburiensis, sibi à Laudensibus Clericis oppositam, elevandam.) Hoc, inquam, totum resorbendum est; nec enim ex Gallica Legatione redux Damianus ad Romanum Concilium se contulit, sed ex Concilio in Gallias se proripuit, undè notitiis dumtaxat in præcedenti Mediolanensi Legatione habitis niti potuit S. Doctor, tùm in literis illis ad Cunibertum, & Adelaidem scribendis, tùm in condemnatione Nicolaitarum apud Romanum Concilium procuranda, antequàm in Gallias proficisceretur. † Lapsus 79.

R. Miror, in his labi potuisse Laderchium, qui pag 177 Conciliorum Generalium Compilatores, utpotè Historiæ Conciliorum ipse consultissimus, erroris redarguit, quòd scripserint, Cadaloum post Mantuanum Concilium militem armasse; cujus erroris causam notat, *quod præfati Compilatores messuerunt ubi non seminaverunt, & congregare voluerunt ubi non sparserunt,* † *non enim, ut debebant, inter* † Lapsus 80.

Concilia, quæ conflaverunt in unum, collegerunt etiam Concilium illud Romanum ab Alexandro, primo Pontificatus sui anno, tempore quadragesimali coactum, † *in quo Cadalous anathematizatus fuit.*

† Lapsus 81.

S. Somnia. Undè ipse probat ante illud anni 1063. in causa Episcopi Florentini, Romanum aliud Concilium anno primo, nempè 1062. ab Alexandro collectum? Ubi ejus acta? Profectò, si jàm ab anno 1062. quadragesimali tempore Cadaloum in Concilio anatematizatum cognovisset Damianus, non omisisset hoc suis obtrectatoribus obiicere, cum opusc 18.cap.8.ex sola Cadaloi damnatione in Osboriensi Concilio postmòdum facta sub finem anni ejus electionis, astruere nititur vaticinii sui (*non ego te fallo, cæpto morieris in anno*) veritatem. At quam versatus in Conciliorum historia Laderchius esset mox ostendit pag.178. ubi, Synodos Florentinam, Papiensem, ac Mantuanam, in quibus damnatum Cadaloum asserit PETRUS DAMIANI lib 1.epist.20. † negat schismatis illius causam respicere, sed alia ipsius scelera in illis discussa fuisse contendit sub Nicolao II. eoquod Alexander nullam Florentiæ Synodum celebrasse reperiatur; quasi verò necesse foret, Concilia illa † præsente Romano Pontifice habita esse, & non potiùs oppositum ex Damiani verbis deduceretur: ait enim loco citato S. Doctor ad Cadaloum: *In multis tibi, Frater, Romana pepercit Ecclesia, frequenter à te legitimi rigoris cohibuit disciplinam, adeòut asserant qui se interfuisse fatentur, quod in tribus jam Conciliis Sy-*

† Lapsus 82.

† Lapsus 83.

no-

nodalibus, Papiensi scilicet, Mantuano, & Florentino, perspicua damnationis in te sententia claruit, ubique tamen sedes Apostolica materna pietatis affectu tibi clementer indulsit, sed dum illa studeret canonum circa te cobibere rigorem, tu non vereris adversùs eam hostilem redhibere tyrannidem. Ubi patet, de Conciliis Synodalibus, ad agnoscendum Alexandrum, tamquàm legitimum Ecclesiæ Pastorem, sine Pontificis ejusdem interventu collectis agere Damianum: aliàs falsum esset, quod ab *Ecclesia Romana, & Apostolica Sede* nondum condemnatus dici posset Cadalous, si a Conciliis, præside Romano Pontifice congregatis, perspicuam damnationis sententiam passus esset. Porrò de Schismatis, quod fovere non desistebat, crimine damnatum in hisce nationalibus congressibus Cadaloum satis indicant allegata S. Doctoris verba, atque evidentiùs confirmant, quæ mox sequuntur, cum videlicet hanc trinam condemnationem opponit Damianus trinæ unctioni Regis David, ac trinæ Petri Cathedræ dicens: *Sed cur nos, vel illum ter unctum, vel istum ter præsidentem, in allegationem hujus disputationis abducimus, nisi ut tu interìm ad conscientiam redeas, teque totidem vicibus, etsì judicio Sacerdotum, sed Canonum authoritate depositum, quam procul à Sanctis viris sis, & ipse perpendas?*

R. Magnam ego de Laderchii eruditione ideam conceperam, ex quo pag. *166*. post Florentinium, & Pagium, Generalis Mantuani Concilii epocam, non anno 1064. ut Baronius crediderat, sed 1067. determinandam animadvertisset, atque adventum

Annonis Archiepiſcopi Colonienſis in Italiam pag. præced. notaſſet, non anno 1062. ſed tantum circa annum 1065. vel 1066. contigiſſe.

† Lapſus 84. S. Ut ab hoc ultimo incipiam; † nec ſemel, ut Laderchius putat, ſed bis in Italiam venit Archie-
† Lapſus 85. piſcopus ille Colonienſis, † nec ullo ex annis à Laderchio notatis ejus adventus ſignandus fuerat; ſed primus quidem anno 1064. quo Legationem ad Alexandrum Pontificem, Henrici Regis nomine, ſuſcepit, ſecundus autem anno 1067. cum ad Mantuanum illud Concilium profectus eſt, ut oſtendit Pagius ad annum 1064. n. 3. Porrò cum agnoviſſet Laderchius anno prædicto 1067. Mantuanum Concilium celebratum, & res ad illud pertinentes capitibus 15. & 16. hujus libri 3. digeſſiſſet, mirari ſubit, cur poſtmodum cap. 18. & 23. ejuſdem
† Lapſus 86. lib. quaſi tempore poſteriores referat † Romanas Synodos contra inceſtuoſorum colluviem an-
† Lapſus 87. no 1065. ab Alexandro II. collectas, † nec non epiſtolas à PETRO DAMIANI ad Arialdum, & ſocios ſcriptas, utique ante idem Mantuanum Concilium, ad quod dum pergeret Alexander II. Mediolanum veniens eumdem Arialdum præcedenti anno 1066. mortuum Sanctorum Martirum catalogo adſcripſit, ut ex Landulpho juniore Pagius refert ad annum 1067. num. 1. & 2. Et certè fatetur ipſe Laderchius pag. 229. Arialdum anno 1066. martyrio coronatum, adeòque ante Mantuanum Concilium anni 1067. Quamquam duplex eàdem pagina
† Lapſus 88. Laderchii lapſus ad hoc propoſitum occurrit: † alter,

ter, quod S. Arialdum V. Kal. Julii passum affirmet, cum B. Andreas Abbas Vallumbrosanus S. Viri discipulus, & comes, in Arialdi vita disertè tradat, illum in Vigilia S. Petri, adeòque IV Kal. Julii, occisum: alter, † quod anno 1056. Arialdum se Mediolanum contulisse affirmet, ut adversùs simoniacos, & Nicolaitas in illa Ecclesia decertaret; cum anno tantum 1057. id contigerit; enimverò Arnulphus Mediolanensis Auctor coæuvs, postquàm narravit Herlembaldum Arialdi socium anno 1076. occisum, ejusque sectatores exterminatos docet *ita impositum terminum schismati* [sic enim Auctor Catholicæ partis inimicus appellat) quod per decem, & novem annos perduraverat; undè consequens est, anno 1057. in Nicolaitarum factionem Arialdum, & socios, primum insurrexisse. Videsis Pagium anno 1057. n.9. & 1066. n.8. ac 1076. n. pariter 8. † Lapsus 89.

R. Plerosque in Laderchio notatos errores video illi cum Baronio, aliisque Clarissimis scriptoribus, esse communes: cur autem illi dicam infligere pergimus, ubi tantos opinionis suæ Patronos assignat?

S. Quibus verò Authoribus didicit quod pag. 237 ejusdem tomi II. asserit; videlicet Damianum † anno 1067. vel 1068. à Desiderio Cassinensi Abbate invitatum fuisse, ac comminata suffragiorum privatione adactum, ut se Cassinum conferret, quò tempore venerabilis illius Cænobii Basilica, nono creationis Desiderii anno, construebatur? Hæc profectò invicem non consistunt; cum enim dicta † Lapsus 90.

Ba-

Basilica ædificaretur, spontè Cassinum *pro more suo* Damianus adierat, dicente Joanne ejus discipulo in ipsius vita cap.20. *Præfatum Cænobium Cassinense dum aliquandò idem Domnus Petrus ex more visitasset cum esset ibi, Beati Benedicti Basilica fundabatur*. &c. Non igitur tunc tàm extraordinaria instantia Vir Sanctus à Desiderio invitatus est, ut Cassinum se conferret; sed longè post, anno videlicet 1071. dum eadem nova Basilica ab Alexandro II. cum omnium Cardinalium interventu fuerat dedicanda: undè excusavit se Damianus ex longo XV. dierum itinere, suæ longevæ ætati, quæ tunc ad postremum vitæ suæ annum perducta erat, à minùs conveniente: *Nam, & propinqui obitus* (respondit Desiderio S. Doctor opus.33.) *me reddit ætas matura suspectum; mors enim licèt aliis sit incerta, proculdubiò tamen senibus est propinqua;* quę verba sub exitum vitæ constitutum Damianum supponunt; nequè verò credibile est, Sanctum virum potuisse anno 1067. gravioris ætatis, & longi itineris incommoda in excusationem prætendere, cum postmodum ex Laderchii sententia pag. 243. Legationem in Germaniam anno 1069. idem Damianus intrepidus susceperit. Porrò ne illud quidem Laderchio concedam, quod pag.606. affirmat, Damianum in hujus itineris proposito *Abbatis Desiderii* † *jussioni, etiam cum sui periculo obedire non* renuisse; precibus enim, non pręceptis acta res est, cum nulla esset Cassinensis Abbatis in PETRUM DAMIANI, ejusque Erēmum aut Mona-

† Lapsus 91.

na-

nasterium authoritas. Denique undè habere potuit Laderchius, quæ posteriori capite 25. (nàm duo sibi immediata capita in hoc tertiò libro, atque etiàm in ejus indice, sub eodem numero 25. recenset) enarrare aggreditur? Proponit nempè. *Quæ inter Alexandrum, & PETRUM DAMIANI post reditum à Germanica Legatione, cum ejusdem Epistola ad Alexandrum*. Omnia prorsus aerea, & in solo Laderchii cerebro fundata: *Forsitan*, inquit, † *tempore, quo ille* (PETRUS DAMIANI in Germanica Legatione constitutus) *aberat, inimicus homo terram Eugubinæ Ecclesiæ, cujus quamdam sollicitudinem sibi à Summis Pontificibus commissam gerebat*, † *adhibita per dolum Apostolica authoritate, commoverat, & conturbaverat, idcircò Petrus, qui adhuc vigilaverat, & non sinerat perfodi domum illam, quam custodiverat, accessit ad Alexandrum, tumensque, ut Jacob cum jurgio exquisivit eum, quam ob culpam suam, & ob quod peccatum suum sic exarsisset in se*. An non planè *forsitan* illud arbitrarium? An non illa *Apostolica authoritas per dolum adhibita* gratis omninò conficta? Porrò epistola 14. lib. 1. cui Laderchius innititur, non † post Germanicam Legationem, sed longè verosimiliùs anno 1063. vel. 1064. à Damiano scripta ad Alexandrum videtur, postquàm è Gallis redux Ostiensem Comitatum sibi à Pontifice ereptum reperit (quod utiquè ante Mantuanum Concilium evenisse Laderchius ipse pag. 548. primi tomi affirmaverat] nec aliud respicere possunt graves illæ in Alexandrum

† Lapsus 92.

† Lapsus 93.

† Lapsus 94.

quæ

quærelæ, quàm ejusmòdi Comitatum, ob suppositas Ecclesiæ Eugubinæ turbationes sibi ereptum; id enim *primò se graviter tulisse* significat S. Doctor sequenti epist.15. licèt, primo illo motu sedato, se postmodùm gavisum narret, ob conceptam deponendi Episcopalis oneris spem, *adeòut mærorem jam simulare non posset*. Quod si post annum 1069. scripta fuisset epistola illa 14. non ibi de Eugubina Ecclesia diceret Damianus: *quæ mihi dudùm à vestris decessoribus est commissa*; Sed indicaret per novennium sub eodem Alexandro Pontifice, æquè ac sub ejus decessoribus, à se per suos discipulos, ac præsertim Rodulphum nupèr mortuum, rectè administratam; undè subsequutę culpam turbationis à se longè evidentiùs amoliretur. Sed apud Ughellum Ecclesiæ illius Eugubinæ Episcoporum Syllabus attendatur: constabit, sub annum 1061. illi præfuisse Mainardum, cujus tempore turbata omnia ejusdem Ecclesiæ jura, ac prædia distracta, conquæritur Damianus Epist.8. lib.4. Ergò sub illud tempus scripta fuit ad Alexandrum Epist.14. lib.1. quæ turbationis hujus mentionem ingerit, nec alias post Germanicam Legationem turbas subortas cum Laderchio fingere debemus.

R. Prolixior, quàm expectaveram evasit nostra collatio. Nunc quando Historicam Laderchiani Operis partem, quæ ad medium usque hujus secundi tomi se exporrigit exhausisti; mensam ad prandium instaurari jubebo, quod tibi mecum hodie commune volo; nec enim ad Mœcenatem redire tardior hora permittit. S. Ut

S. Ut jubes consistàm: veloci tamen nuncio Mæcenas monendus est, ne me ad usque solis occasum expectet. Interim, dum mensa instruitur, tertium tomum per otium evolvere licebit, si quid prætetrea ad historiam pertinens nostram ibi censuram effugerit. En pag. 107. ut in Dicacum Franchum mimicè invehitur Laderchius, quod scripserit, Petrum Mediabarbam fuisse illum Episcopum Florentinum, quem PETRUS DAMIANI opusc. 20. ad Alexandrum II. narrat à se correptum ob ludum scacchorum; præferendam enim contendit Ughelli sententiam, quod is Florentinus Episcopus esset † Gerardus, qui mox Nicolai II. nomine Pontificatum gessit. At qui ejusmodi Episcopum adhuc viventem supponit Damianus, ubi ait: *quod mihi de venerabili Florentinæ sedis Episcopo contigerit narro*; & infrà: *tunc ille, ut mitis est animi &c.* Si autem de Gerardo, seù Nicolao II. intellexisset, utique de more scribere debuerat, *quod mihi de venerabili Florentinæ olim sedis Episcopo contigerit narro*, aut etiam (ultimum personæ statum indicando) *de venerabili Romana Sedis Antistite prædecessore tuo*: & pariter: tunc ille, *ut mitis erat animi*, scripsisset. Quare cum nullus post Gerardum, seu Nicolaum II. assignabilis sit Florentinus Episcopus, qui sub initium Pontificatus Alexndri II. viveret, præter Mediabarbam, optimo sanè argumento (quod frustra, & insulsè Laderchius irridens ait: *Quid hac ad nos? Ecclesia Florentina nullus præfuit post Gerardum, inquit, nisi Mediabarba, ergo Mediabarba correptus fuit à Santo Cardinali ob ludum scacchorum.*

† Lapsus 95.

Ex illo antecedenti, quanam est ista consequentia? nimirum malarum ipse dumtaxat consequentiarum ferax, in hujus bonæ consequentiæ claritate discernenda caligat) intulit Franchus, hunc ipsum Episcopum illum fuisse, quem ob ludum scacchorum à se reprehensum præfato loco Damianus commemorat. Rursùs ad paginam 169. en ut inanem operam cum Baronio ludit Laderchius narrationem Damiani opusc.34. cap.5. relatam de S. Severino Coloniensi Episcopo ad † Peregrinum, qui post septingentos annos illi successit, transferre satagens, enimuerò quod ait, S. Severinum longo ante Damianum tempore præmortuum, nemo ibit inficias: at neque Damianus asserit, Historiam illam ævo suo contigisse, tantum narrat, quod ex Adraldo Bremetensi Abbate didicerat, idemque *inditum litteris esse*, ipso referente, cognoverat. Quis autem nesciat, vetustissima potiùs facta in alicujus regionis historiis notata reperiri, quam recentia? Sed & in clausula illa narrationis Damiani(*Clericus inquit, Coloniensis Ecclesiæ vadum fluminis transibat, & ecce B. Severinus ejusdem Ecclesiæ nuper Episcopus equi ejus habenas apprehendit*) particula *nuper* non ad Damiani ætatem, sed ad tempus illius Clerici referenda est, ut sensus sit, illi apparuisse Episcopum paulò antè præmortuum, quàm hoc factum contingeret; non paulò antè, quàm id Damiano narraretur, viventem: undè nulla necessitas est hujus permutationis arbitrariò confictæ, ut idem Baronius in notis ad Martyrolog. Roman. die XXIII. Octob. tandem agnovit; indèque etiam confirmatur, quià Episco-

pum

† Lapsus 96.

pum illum Sanctitate celebrem Damianus indicat, quod non de Peregrino, sed de Severino dumtaxat accipi potest. Bilem porrò movet, quod pag.334. de Sanctis P.P. Athanasio, Hilario, Hjeronymo, Laderchius asserit; † ab ipsis nempè (ut à Laban Jacob) *deceptum* fuisse in casu Liberii Damianum, qui illos sic redarguere possit: *quid est hoc, quod facere voluistis? Nonne pro Rachel servivi? quare imposuistis Mihi?* Quos etiam infra † cum reprobo Esau comparat, Damianum in hoc facto, cum voce Jacob, manus Esau prætendisse scribens, *quia ejus pilosæ manus similitudinem Majorum exprimunt*. Jam in pag.450. quantus est error Laderchii, qui Joannem vitæ PETRI DAMIANI Scriptorem eundem esse tradit † cum Sancto Joanne Laudensi Eugubino Episcopo, ejusdemque Petri discipulo?

† Lapsus 97.

† Lapsus 98.

† Lapsus 99.

R. Eumdem fuisse nec ipse dubito, nec video, aut Henschenium ad diem XXII. Februar. in commentario prævio ad vitam PETRI DAMIANI num.10. aut Pagium ad annum 1072. num.6. alterum ab altero distinguere. Quid igitur hic peccavit Laderchius? Verum illata sunt prima fercula: En jusculum, pernam minutal, subalbidamque frixuram: jucunda sint ad mensam colloquia. Jam accumbamus.

S. Possumus ad frixuram usqne Laderchianas ineptias prosequi; sed ut ad propositum respondeam: Henschenium in tot Sanctorum vitis colligendis, & expendendis occupatum, haùd miror, quod (indiligentiùs scriptorem vitæ PETRI DAMIANI distinguendo) hæc homonymia fefel-

lerit; Nec Pagio tam vastum Historiæ Ecclesiasticæ pelagus tranant, & citrà ullum examen Henschenio hac in re adhærenti, lux major affulserit. Nostrum verò Historiagraphum, qui id unum in se negotii susceperat, ut exactissima simul, & amplissima Damiani gesta nobis proponeret, quis à fœdissimo lapsu excusabit, quod ne primum quidem ejus vitæ scriptorem satis agnoverit, & cum æquivoco Sancti viri Alumno gratis confuderit? At tàm frequentibus, quos anteà sparserat, historicis erroribus, æquum erat, ut majusculo aliquo coronidem Laderchius imponeret.

R. Tu verò quo criterio utrumque Joannem discernis? Positivis enim argumentis confirmanda est ejus assertio, qui duplicem personam esse contendat, non ejus, qui unam, eamdemque supponat: ubi præsertim de nominis, professionis, ac temporis convenientia liquet. In scholis æquè, ac in foris nemo non adversum te pronunciabit, cum fortior nostræ parti, quam tuæ faveat præsumptio.

S. Haùd male causidicum agis. Tu igitur fercula inter, & pocula Historiographi nostri imprudentiæ, è jurisprudentiæ principiis, patrocinari perge: ego ex historiæ fontibus ejus asserti falsitatem sic redarguo. Quo tempore censes Damiani vitam ab Joanne ejus discipulo scriptam?

R. Post annum 1080. siquidem in ultimo scriptionis illius paragrapho Damiani apparitio mense Augusti hujus anni facta describitur, quam Laderchius pag. 265. tom. II. recitat; neque Henschenio adhærere videtur, qui totum illum §. longè post, appendicis lo-

loco, adjectum ab alio ſcriptore fuiſſe arbitratur, ſed ejuſdem Joannis nomine in margine adſcripto recenſet.

S. Bene eſt. Monachus erat Joannes iſte Damiani diſcipulus, cum hæc ſcriberet, an jam Epiſcopalibus Infulis decoratus?

R. Monachum fuiſſe non dubito, quippe ex obedientia Liprandi Prioris iniunctum ſibi ſcribendi onus in Proemio fatetur.

S. Rurſus, quo anno in Epiſcopum Eugubinum Joannem hunc electum credis?

R. Hiſtoriographus noſter pag.450. tom.III. ex Ferrario refert, Joannem anno 1076. Cathedram illam aſcendiſſe.

S. Non Monachus igitur, ſed Epiſcopus erat poſt annum 1080 Joannes, cum Damiani vitam deſcriberet; neque illam ex obedientia ſuo Priori debita exararam fateri poterat.

R. Me circumueniſti. At fortè cum Henſchenio appendicem illam longè poſt adjectam dicere poſſumus, cum ante annum 1076. ſcriptionem ſuam Joannes jam abſoluiſſet.

S. Hoc Henſchenii cautelam probat, ſed Hiſtorici noſtri ſocordiam non tegit, qui & in his cæcutiens ſecum ipſe cohærenter non ſenſit. At alia rurſus † contradictio tibi ineluctabilis ſeſe offeret ex hujuſmet Authoris verbis pag.264. tom.II ubi poſt reſcriptam ex Joanne diſcipulo funeris Damiani narrationem, hæc ſubdit: *Hucuſque Joannes diſcipulus, qui ab Eremitis, & Monàchis Congregationis Avellanenſis poſt obitum Sanctiſſimi viri* † Lapſus 100.

in

in Priorem electus fuit; nam ficut Sancto Patri PETRO DAMIANI in fanctitate, & fapientia confimilis erat, ita ei Prioratu fuccederet. Si igitur Joannes Laudenfis (de hoc enim id accipiendum puto) ftatim ab obitu PETRI DAMIANI Prioratum fufcepit, quomodo poteft cum Joanne ejus vitæ fcriptore confundi, qui Monachum fe prodit fub Prioris Liprandi obedientia conftitutum?

R. Difficilem effe video Hiftorias fcribendi provinciam; ac nefcio, an quis Damiani vitam cum tot Pontificum, Principum, Epifcoporum, aliorumque Virorum illuftrium factis connexam, inoffenfo pede, fibi percurrendam confideret, quamvis eruditis notationibus tuis, quæ huic Hiftoriæ reformandæ fatis utiles effe poterunt, inftructus effet. Dandum itaque eft aliquid Operis difficultati, atque excufandus, non irridendus Laderchius, fi minus feliciter, è tot Labyrintheis ambagibus fe extricavit. Id enixiùs rogantem audi fcriptorem noftrum in fine Præfationis. *Ne longè ergo faciat miferationes fuas à me quisquis libellum hunc legere dignabitur, fed confiderans me tam imparem operi, indulgere dignetur erroribus meis.*

S. Quis illum adeò impotentem, ac nervis omnibus ad onus hoc ferendum neceffariis deftitutum, huic operi manus admovere coegit? Expecto, ut Ecclefiafticos etiam annales perficiendos fibi arroget, ac poftquam omnem Hiftoriæ veritatem fufdèque verterit, modefta veniæ poftulatione Lectores demulcere nitatur. Ante operis aggreffionem, explorandum eft quid ferre recufent, quid

quid valeant humeri. Nisi se quis ad historiam natum sentiat, ne se turbæ eruditorum immiscere præsumat.

R. Quid, si pruriant digiti, nec calamus otiari velit.

S. Homiliæ, Præfationes, Responsoria Biblici centones scribantur: quidvis aliud præter Historias

R. Monebo hominem minimè malum, ut studia sua ad eum dirigat scopum, in quem sui nervi colliment. Interim vini cyatho proluenda labra, ne quid, ex tam longa censura, fæcis contraxerint.

S. Penè fauces aruerant. Et tibi mi Rufine, & amico Laderchio, proficiat Symposii nostri jucunditas. Ut me Apiana hæc vina delectant!

R. At parcior futura mihi est hoc anno generis hujus vindemia.

S. Quamlibet parum collegeris, fac diligenter custodias: qua de re opportunum Laderchii monitum est attendendum in pag.248. tom.I. ubi post refutatos Auctores, qui Damiani Institutiones ad vetustiora tempora trahebant, sic concludit: *Nemo mittat vinum novum in utres veteres, alioquin rumpentur utres, & vinum effundetur, & utres peribunt; sed vinum novum in utres novos mittat, & ambo conservabuntur*. An magis apposité loqui poterat Historiographus noster?

R. Dimitte Laderchium; cujus tria hæc tam insulsa volumina mihi mensam infarciunt, totidemque potius patinis locum cedent. Leporem, perdices, & avem phasiacam, famulus inferat: nos interim regi magno assurgamus, cujus, ac Regiæ Domus felicitati, hoc cratere litandum est:

S.Chri-

S. Christianissimi solii Principes sospitent superi, ac promovendis bonarum artium studiis (post sedatum, non indecora pace, immanis belli, quo tota Europa fervet, incendium) in longam ætatem conservent.

R. His ipsis votis summo Ecclesiæ Pastori Clementi XI. fausta omnia præcemur, qui & in conciliandis Regum dissidentium animis, & in litteris, artibusque ingenuis ad dignitatem pristinam revocandis, summo ardore desudat.

S. Doctissimi, Piissimique Pontificis studia fortutunet Deus, qui & prudentissimo ejus animo saluberrimum consilium inspiret, ne tàm ineptas lucubrationes historiæ Laderchianæ similes, idest insulsas, blasphemas, divino verbo, Sanctisque Patribus injuriosas, totque historicis erroribus refertas, in ipsa præsertim Urbis Romanæ luce, in ipsis suæ sanctitatis oculis, prodire ampliùs impunè permittat: librorumque editioni, non insulsos adulatores Quintinos, sed Censores idoneos, & uberiori doctrina, ac severiori judicio pollentes præficiat, ne quid absonum ab eloquentiæ Ecclesiasticę majestate, quam elegantissimis Homiliis suis, ingenti bonorum omnium plausu, restituere summus Hierarcha, Magnis Leonibus, Magnis Gregoriis, ut æqualis auctoritate, ita facundia non impar contendit, in orbem Christianum ex ipso Christianarum Urbium Capite diffundi patiantur.

F I N I S.





